



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Canuto Lawardo Rege Obotritorum Duce Sleswicensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

EX VARIIS. XXIX *Januarii, his verbis* : Ipso die B. Vitalis Abbatis. *Et Carthus. Colon. in Addit. ad Usuardum, Vitalis Abbatis. Ejus vitam breviter describit Ordericus Vitalis lib. 8 Ecclesiasticæ histor. Venerandus Vitalis, qui quondam fuerat Roberti Comitis Moritolii Capellanus, et apud Moritolium S. Ebrulfi Canonici sæcularium curarum ac divitiarum depositis oneribus, leve jugum Christi per Apostolorum vestigia ferre decrevit, et in desertis locis aliquamdiu cum religiosis quibusdam habitavit. Ibi mollioris vitæ pristinas consuetudines edomuit, et rigidioris observantiæ cultus edidit. Denique Savineium vicum, ubi antiquorum ingentes ædificiorum ruinae apparent, consideravit, sedemque sibi suisque ad habitandum elegit, et in contiguo saltu monasterium in honore sanctæ et individuae Trinitatis condere cepit. Ritus Cluniacensium, vel aliorum qui monachilibus observantiis jamdudum mancipati fuerant, imitatus non est; sed modernas institutiones neophytorum, prout sibi placuit, amplexatus est.*

Prædica-  
tio fractu.  
Isa. 58. 1.

Occulta pec-  
cata aperit.

Pie moritur.

3 Hic eruditione litterarum erat apprime imbutus, fortitudine ac facundia præditus, et ad profereudum quidquid volebat animosus : non parcens in populari sermone infimis nec potentibus, quasi tuba exaltabat vocem suam, juxta Isaia vaticinium, annuntians populo Christiano scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum. Reges igitur Ducesque reverebantur illum. Plures turbæ manicabant ut audirent verba ejus : quæ postmodum auditis ab illo latentem olim actis facinoribus, lugubres et confusæ redibant a facie ipsius. Omnis ordo intrinsecus pungebatur ejus veridicis allegationibus. Omnis plebs contremiscebat coram illo ad correptiones ejus, et uterque sexus rubore infectus verecundabatur ad impropria illius. Nuda quippe vitia manifeste premebat, et occultorum conscios probros redargutionibus stimulabat. Sic nimirum superbos athletas et indomitos vulgi cæsus plerumque comprimebat, atque locupletes heras Sericis vestibus, et Canusinis pellibus delicate indutas trepidare cogebat, dum verbi Dei gladio in scelera sæviret, et spurcitiis pollutas conscientias valde feriret, grandisonoque divinæ animadversionis tonitruo terret. Solers itaque seminiverbius multis profuit, multos secum aggregavit.

4 In cœnobio, quod construxerat, per annos vii Deo militavit, et usque ad bonum finem bonæ vitæ permansit. In Oratorio post aliquantam ægritudinem, in qua fideliter confessus fuerat, et sacræ Communionis viaticum devote perceperat, ad matutinos de sancta Virgine Maria Lectori poscenti benedictionem

dedit, et a cunctis qui aderant dicto, Amen, mox spiritum exhalavit. Quo defuncto Bajocensis Goisfredus, ac Cerasiacensis monachus successit, qui et ipse immoderatis adventionibus studuit, durumque jugum super cervicibus discipulorum aggregavit. Hæc Ordericus. Robertus ille Moretolii Comes frater uterinus fuit Guillelmi I, Angliæ Regis, ut idem refert Ordericus lib. 7. S. Ebrulphus, in cujus Ecclesia Canonicus fuit Vitalis, colitur xxix Decembris. Ordericus instituti Cisterciensis sectatores neophytos vocat; in quos, uti et plures alii monachi sub ipsa Ordinis initia, haud satis æquus fuit. Goisfredus, sive Gaufridus, ut eum vocat Saussayus, aut Gaufridus ut Menardus, antea monachus fuerat in monasterio S. Vigoris de Cerasayo, vulgo Cerisy, in diocesi Bajocensi.

5 Guillelmus Neubrigensis lib. 1 de rebus Angliæ. cap. 15 de Vitale quoque ista scribit : In transmarinis partibus, sicut a majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbusculo, Bernardus, et Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi et spiritu ferventes circuibant per castella et vicos, seminantesque secundum Isaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant, pio inter se placito constituto, quod Robertus quidem feminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret, Bernardus vero et Vitalis maribus propensius providerent. Robertus itaque famosissimum illud monasterium feminarum de Fonte Ebraudi construxit, et regularibus disciplinis informavit. Bernardus vero apud Tyrocinum, et Vitalis apud Saviniacum Monachis regulariter instituit, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietatis distinxit. Cumque ex his tribus quasi radicibus servorum atque ancillarum Dei per diversas provincias religiosa germina pullularent, quidam Saviniacenses monachi Bellelandam nostram condiderunt. Paulo deinde inferius ait, Saviniacenses per cujusdam Abbatis religiosam instantiam in ritus Claravallenses transiisse. Imo Menardus Constitutiones a Vitale ad similitudinem Cisterciensium conditas testatur.

6 De Roberto de Abresello, vel Abrissellis, vel ut hic vocatur Arbusculo, ægemus xxx Augusti; ubi et de celeberrimo monasterio Fontis Ebraudi, aut ut hic dicitur, Ebraudi. De Bernardo, et monasterio Sanctæ Trinitatis de Tironio, xiv Aprilis. Bellelanda monasterium fuit in diocesi Eboracensi, vulgo nunc Biland, unico milliari distans a Neuburgensi, in quo Guillelmus Neubrigensis se a puero educatum scribit.

Bernardus de  
Tironio, et  
Robertus de  
Abresello,  
ejus socii.

Isa. 32. 20.

Monasterium  
singuli stru-  
unt.

## DE S. CANUTO LAWARDO

### REGE OBOTRITORUM DUCE SLESWICENSI.

#### § I. Canuti genus, sanctitas.

ANNO  
MCXXXIII.  
VII JANUARIJ.  
S. Canutus  
nepos alterius  
S. Canuti.

**D**uo fuere Canuti Reges, in Sanctorum numerum publica Ecclesiæ auctoritate relati : prior tabulis Romani Martyrologii ad vii Id. Januarii inscriptus, colitur x Julii, quo die ejus dabimus vitam; alter hoc die coli, rursumque xxv Junii, ab Ecclesia Sleswicensi aliisque consuevit. Prioris hic nepos ex fratre, non filius fuit, ut existimavit Baronius, qui ad an. MCLXIV num. 50 scripsit Valdemari patrem hunc juniorem, avum alterum seniore Canutum exitisse.

2 Genus Canuti utriusque fusius Danicarum rerum Scriptores deducunt : nobis sat fuerit verbo indicasse; quo melius, quæ mox dicentur, queant intelligi. Canuti Magni (qui Angliam subjugavit, atque Ethelredi Regis viduam, S. Eduardi matrem, Emmam uxorem duxit, ut v Janu. in Eduardi vita narratum est) illius, inquam,

Canuti sorore Esthryta, sive Estride, natus est Sueno, cognomento Esthritius, post Magnum Norvagum S. Olavi filium, Daniæ Rex. Nullam is e legitimo thoro prolem suscepit, filios multos habuit naturales, e quibus omnino quinque post eum Daniæ Reges fuerunt, Haraldus, S. Canutus Martyr (B. Caroli Boni Flandriæ Comitis et Martyris, de quo n Martii, parens) Olavus, Ericus Bonus, Nicolaus. Erixi Boni filius fuit S. Canutus. Nicolao Daniæ Rege (cujus filius Magnus S. Canutum occiderat) a Jutis in ultionem illius cædis interfecto, regnum obtinuit Ericus Emund, Erixi Boni filiusnotus, quæ Magnum fratris sui S. Canuti interfectorem bello vicit peremitque. Erico successit Ericus Lam, Annæ sororis filius; huic Sueno natus Erico Emundo, Eschylli interfecto, qui a suis coactus regni consortes admittere Canutum Magni filium, Nicolai nepotem, et Walde- marum S. Canuti filium, Erixi Boni nepotem, Canu- tum

tum dolo peremit; a Waldemaro, cui insidias quoque struebat, prælio victus occisusque est. A Waldemaro prognati, ad plura deinde sæcula Daniæ imperarunt. De S. Canuti genere satis: nunc de publica ejus ad aras veneratione.

Nomen in Martyrologiis.

3 Molanus in Addit. ad Usuardum, vii Januarii: Ipso die S. Canuti Ducis Daciæ et Martyris, filii Erici Regis, qui passus est anno mxxx. Martyrolog. Coloniense: Eodem die S. Kanuti Ducis et Martyris. Carthus. Colon. in Addit. ad Usuard. Item Kanuti Ducis Slaviæ Martyris, filii Regis Daciæ. Martyrologium Germanicum: Sancti Martyris Canuti, Slavorum Ducis, filii Regis Daciæ, sub Alexandro III, canonizati. Passus est ann. mxxx, ms. Florarium: Kanuti Ducis et Martyris. Petrus Galesinius: Hoc item die S. Canuti Ducis Slaviæ Martyris, qui Alexandro III Pontifice relatus est in Sanctorum numerum. Ferrarius pridie, id est vi Januarii eum refert his verbis: Apud Roschildiam in Dania, S. Kanuti Ducis et Martyris. Monet deinde in Notis, S. Kanutum Regem hujus patrum alio die occisum, sed pro Duce videri mendose relatum hoc die. De Translatione infra agemus.

Cur Martyr dictus.

4 In Breviario antiquo Ecclesiæ Sleswicensis, hæc in festo S. Canuti recitatur Oratio: Deus, in cuius fide gloriosus Dux Kanutus firmiter incedens, vitæ innocentis violenter subtrahitur; præsta quesumus, ut sicut ipse immeritè morti addicitur, mortem quam meruimus, ejus meritis ac precibus evadere mereamur. Per Dominum, etc. Alia in die Translationis, quam post dabimus, in eodem extat Breviario. Miretur fortasse quispiam cur Martyr dicatur Canutus in citatis Martyrologiis et aliis infra, cum nec fidei nec justitiæ causa, licet innocens, sit interfectus. Verum alii quoque haud pauci, qui ab improbis hominibus nefarie erant occisi, Martyres habiti sunt, ut suis locis ostendemus. Et fuit, virtutis exercitatio, favorque Numinis causa odiorum Magni adversus Canutum, uti adversus Abelem Caini.

## § II. S. Canuti regnum, Ducatus.

Qui Slavi et Obotriti.

Obotriti, Venedi, Slavi, Boreales Germaniæ provincias ad mare Balticum occuparunt, ab Orientali plaga trans Viadrum Vistulamque progressi; sive desertas, Sævis Vandalsque in externa profectis; seu potius pulsas, subjugatisve et in unam secum gentem reductis incolis. Universim Slavi omnes dicti; eratque eadem omni lingua, qua nunc Bohemi, Moschi, Rutheni, Poloni, Croatæ, atque alii, sed in variam dialectum deflecta utuntur. Slavorum porro horum ad Septemtrionem Germaniæ, plures recensentur populi sive ex iis ante gens coaluerat universa, sive una in plures dissecta est dynastias: Duces certe ac Reges iis varii imperarunt. Obotriti præcipue Mecklenburgicam ditionem, ac Wagriam quoque tenuerunt, a vestibus versicoloribus, ut quidam scribunt, adepti nomen. Slavorum proprio nomine, quod erat alioquin omnibus commune, se ferebant ii qui Pomeraniam Marchiamque Brandenburgicam colebant. Vandalis, qui vulgo Wenden, inde orta nomenclatura, haud satis inter Auctores constat. De ea disputat Hadrianus Junius in sua Batavia cap. 21. Joannes Angelius Werdenhagen in suis rerum Hanseaticarum commentariis parte 3, cap. 9, 10, 22, 23, etc., varias enumerat Vandalicæ civitates, quæ hoc tempore ad Mecklenburgi Pomeraniæque Ducatus spectant. Hæc carptim ex præcipuæ auctoritatis Scriptoribus attulimus (quæ alii, qui de gentium migrationibus agunt, fusiùs distinctiusque exponunt) ut, quia S. Canutus Slaviæ Dux, Obotritorum Rex ac Wandalarum dicitur, quibus præfuerit populis intelligatur. Ab eo certe orti Daniæ Reges, ad hanc usque ætatem se Wandalarum Reges scribunt, ut etiam superiore sæculo animadvertit Krantzius lib. 3 Vandalicæ cap. 30.

S. Canutus Rex Obotritorum.

6 Slavorum Principatum, mortuo Henrico Gode-scalci et Siritæ (quæ Canuti amita erat) filio, ut vivens

stipulatus erat Henrichus, adiit Canutus, ac Regis Obotritorum titulum accepit a Lothario II, qui post Henrici V obitum an. mxxv, imperare cœpit. At Ducatum Sleswicensem antea a Nicolao patruo emerat Canutus, virtutis exercendæ materiam, dum ad fines Daniæ perennes agere excubias contra Slavos ac Saxones hostes perpetuos cogeretur.

EX VARIIS.

7 Est Sleswicensis Ducatus Jutiæ meridionalis provincia, cujus caput Slesvicum civitas Episcopalis, quæ Haiteby olim, aut Hedeby, ab Hetha Regina dicta. Ita Ethelwerdus Anglus lib. 1 Chronic. Porro Anglia vetus sita est inter Saxones et Gotos, habens oppidum capitale, quod sermone Saxonico Sleswic nuncupatur, secundum vero Danos Haithaby. Sliestorffium quoque dicta reperitur. Urbs olim fuit opulenta ac populosa. A Slia amne, aut sinu maris, nomen accepit. Nam Sinus maris, ut Joannes Adolphus Cypræus vir optimus, mihi quæ, dum viveret, amicissimus scribit Historiæ Slevic. cap. 2, seu partes littorum propter excursus maris incurvæ, a nautis Danis ein wick nominantur. Et Saxo lib. 7, portum Herwig, Latine Exercituum sinum interpretatur his verbis: Hako in portum, qui Danice Herwig, Latine Exercituum sinus dicitur, classe collata militem exponit. Plura ejusmodi locorum vocabula passim occurrunt, quæ wick syllaba terminantur, ut Kentwick vel Kentavicum emporium in Belgica ad ostium Quanticæ, sive Cancicæ, fluminis; quod nomen non recte quidam a vico Latina voce deflectunt, quasi vicus ad Quantiam dicatur, cum emporium fuerit ad sinum Quanticæ.

Dux Sleswicensis.

Quid wyck.

Ut a patruo Nicolao Canutus, ita Holsatiæ Duces (quibus Wagria, et pars Obotritorum Saxonumque, Osterlingorum, sive Ostvalorum, ditionis parva) Daniæ Regibus etiamnum in feudum accipiunt Sleswici Ducatum.

## § III. Qui Canuti gesta scripsere.

Res gestas S. Canuti varii descripserunt. Proximus ærum ejus attigit Helmoldus, discipulus, ut ipse fateatur, Geroldi primi Lubecensium Episcopi, qui creatus est anno mclxiii, Episcopatu Aldenburgensi tum Lubecam translato: is erat annus ab obitu S. Canuti trigessimus, ut scribit Albertus Abbas Stadensis canobii B. Mariæ Virg. Ordinis S. Benedicti, qui relicta Abbacia Ordinem S. Francisci ingressus est. Hic in Chronico, ad annum mclxxxiii, et sequentem, eisdem verbis, quibus Helmoldus, describit vitam S. Canuti, pauculis hinc inde omissis. Brevius eadem referuntur ex Helmoldo descripta in Chronicis Slavicis incerti auctoris, studio Erpoldi Lindebrogii editis, capit. 17. Textitur hoc Chronicon ad annum mccccxxxviii, quo auctor vixit: Favent hic auctores Wandalis seu Slavis, et S. Canuti apud eos gesta præcipue attingunt. Danica studiosius descripsit Saxo Grammaticus, Danus ipse ex Sialandia oriundus, Roschildensis Ecclesiæ Præpositus, qui floruit circiter annum mcc.

Scripsere de S. Canuto; Helmoldus.

Albertus.

Chronic. Slav.

Saxo Grammaticus.

9 Nos duplicem vitam danus, alteram ex Helmoldi Chronico, alteram ex historia Saxonis decriptam. Helmoldo præfigimus lectiones Officii Ecclesiastici de S. Canuto hoc vii Januarii in diocesi Sleswicensi olim recitari solitas, ex antiquo ejusdem diocesis Breviario descriptas: Saxoni vero subnectimus, quæ ex variis de S. Canuti in Divos relatione, corporisque elevatione et translatione collegimus, demum et lectiones alias xxv Junii recitari solitas ex citato Breviario.

Vita S. Canuti.

10 Præter citatos scriptores, incertus auctor historia compendiosæ Regum Daniæ ex mss. studio Lindebrogii edita de Nicolao patruo S. Canuti agens, sic scribit: Nicolaus quintus Suenonis filius. Huic erat filius, nomine Magnus ex uxore Margaretha filia Regis Sueciæ, homo crudelissimus et impius, qui etiam interfecit S. Canutum Martyrem et Ducem, ipsius quoque fratrem Haraldum. Iste Nicolaus bello superatus ab Erico Emund, occiso Magno filio fugit ad Sleswicum,

Alii scriptores.

EX VARIIS.

cum, ubi a Jutis interfectus est in ultionem Canuti Ducis, qui erat Jutis carissimus, anno Domini mccccv.

11 *Ejusdem a Magno occisi meminerunt Annales ab anonymo circiter an. Christ. mclxxxviii, conscripti, ab eodem Lindebrogio editi. Liber item cantilenarum Danicarum, Chronicon Holsatiae, et Chronologicum de rebus et origine Regum Daniae collectaneum auctore, ut volunt, Erico Pomerano Daniae Rege. Hoc citat Joannes Isacius Pontanus lib. 3, historiae Regum Daniae in Nicolao Rege lxxi, illa Joannes Adolphus Cypraeus in Annalibus Episcoporum Sleswicensium cap. 21 et 23. Quibus locis uterque egregie laudat S. Kanutum, ejusque vitam et caedem describit. Hujus etiam patris Hieronymus Cypraeus hanc historiam illustrat in suis ad Helmoldum annotationibus, quas non nisi a nepote citatas legimus.*

12 *Ad antiquiores redeo. Fusissime acta S. Kanuti describit Albertus Krantzius Hamburgiolum SS. Theologiae Professor et Collegii Canoniorum Ducanus, qui anno Christi mxxxvii, e vivis decessit. Hic lib. 3, Wandaliae cap. 27 et sequentibus decem, et lib. 3, Daniae cap. 1, 4, 7 et sex sequentibus praecclare S. Kanutum depingit, in Danica historia secutus Saxonem, in Wandalica Helmoldum et Albertum Stadensem. Meminit ejusdem lib. 3, Saxoniae cap. 28, et lib. 6, cap. 2, 3 et 4. Krantzio succedit Joannes Magnus, Olai Magni frater, Archiepiscopus Upsalensis in Suecia, qui ante Christi mxxlii Romae diem extremum clausit. Hic in historia Gothorum et Sueonum, (quibus Magnus, S. Kanuti interfecto, Rex praefuit) lib. 18, cap. 14 et 16, obitum ejus narrat, et canonizationem lib. 19, cap. 7, et lib. 2, de vitis Archiepiscoporum Upsalensium in Stephano Archiepiscopo. Baronius ejus mentionem facit in Notis ad vii diem Januarii, et tom. 12, anno 1164, num. 30, ejus canonizationem refert. Joannes Angelus Werdnaghgen ejus bonitatem laudat parte 3, Rerum Hansaticarum cap. 22, et alibi. Vitam denique S. Kanuti descripsit protire Rannuccius Picus, Odoardi Farnesii Parmae et Placentiae Ducis Secretarius, et in Speculo Principum Italico idiomate divulgavit anno mcccxii.*

S. Canuti  
vitas.

13 *De aetate ejus, et annis quibus vixit, et quando occisus sit, id statui potest. Parentes ejus ab itinere Hierosolymitano reduces in insula Cypro circiter an. Christi mcv, obiisse communior opinio est: quo tempore puerum eum fuisse octo vel decem annorum, et sub disciplina Skylmonis existimamus educatum. Krantzius lib. 3, Wandaliae cap. 28, scribit, Henricum Obotritorum Principem obiisse anno mxxii, et S. Kanutum pro hujus filii administrationem subisse. Sed quomodo tum Rex Obotritorum coronatus est a Lothario Imperatore (ut cum aliis refert ipse Krantzius) cum ad Lotharium diu postea a morte Henrici V, quae contigit mense Junio anni mcccv. Imperium translatum sit? Albertus Stadensis et Auctor incertus Chronici Slavici hanc S. Kanuti in Regem Obotritorum coronationem ad annum mcccxiii, referunt, quo eodem anno ejus caedem describunt. Cypraeus ex libro cantilenarum Danicarum, Molanus in addit. ad Usuardum, Rannuccius Picus in ejus vita, volunt eum anno mccc, interemptum. Joannes Magnus lib. 18, Hist. Gothorum cap. 13, scribit circa annum mcccix. Regem Gothorum Ragualdum occisum esse, cui Magnus S. Kanuti interfecto successit, ante hanc caedem patratam, ut infra ex Sazone patebit; sed cum Lotharius eo anno aut precedenti obierit, necessario haec citius contigerunt. Opinamur S. Kanutum ciciter annum mcccxiii, esse interfectum, aliquot ante annis in Regem a Lothario coronatum. Favent praeter citatos Historici Regum Daniae qui Nicolaum anno mcccxxv, interfectum scribunt.*

## VITAE COMPENDIUM

Ex Breviario Sleswicensi.

S. Canuti vir-  
tutes.

**B**eatus Kanutus, Regis Erici filius, Dei disposi-

tione factus Dux Jutiae, posuit super femur gladium suum. Invasores regni dissipat, perdit raptores, et fures suspendit, et in brevi, ab omni persecutione patriam suam liberavit. In omnibus prospere egit, quia manus Domini erat cum eo. In divinis devotus extitit et curiosus, in saecularibus strenuus et curialis. A Deo et hominibus jure dilectus erat.

2 Unde Magnus, Regis Nicolai filius, excacatus invidia, Ducem dolo de terra delere voluit. Contigit interim, ut Dux regi tunc accusaretur. Tunc et Rex, falsis favens suggestionibus, his causis, concilio a Ripensi ipsum aggressus est: Tu contra consuetudines terrae, nova quaedam induxisti, et in Slavia contra me nomen Regis usurpasti. Super quibus Rex suis responsis auditis (quia simplex erat, et cito moveri non potuit) delatoribus derogavit, commendans opera Ducis, quia erant valde bona.

3 Cum in illo tempore, imminente die Natalis Domini, Regis curia esset b Roskildiae celebranda, et Dux Kanutus ad festum invitatus ire festinaret; uxor ejus, rei eventum praecogitans, hortabatur illum iter omittere. Sed cordis innocentia viro justo eundi proposuit securitatem. Transfretante, venit ad curiam egis ubi cum honore receptus est.

4 Magnus igitur, cui Kanutus se tutius committabat, meditabatur die ac nocte quo eum neci traderet. Hujus perfidi c Henricus Schatelaer fretus consilio, tres Procures confoderavit, in quibus praeter ceteris malefaciendi habebat fiduciam. Deinde tamquam familiarem suum Ducem consuluit, dicens: Frater fidelis praeter cunctis mortalibus, cum te sine falsitate aliqua expertus sum, quaedam negotia tuo consilio ordinare disposui: volo, ut in secretiori loco mihi soli solus obvies, ubi nemine impediente, quae deliberanda sunt definire valeamus. Kanutus falsi fratris verbis fidem dedit, et respondit: Locum et tempus assigna, paratus enim tum in omnibus tibi parere.

5 Die autem altero Epiphaniae Domini, summo dilectulo, Magnus armatus cum suis sequacibus, ad silvam veniens, in qua frater suus perire disposuit, doli nuntium ad Ducem direxit, mandans ei ut quod fideliter sponderat, cum festinatione adimpleret. Igitur S. Kanutus ad locum properans, perfidum per saltum vagantem solum videbat: qui statim occurrens osculatur, amplexatur; pacis osculo Judae traditoris officio se obligavit, dicens: Frater, sedeamus illic. Sedens cum eo, versipellem latenter sub toga loriceatum perpendens, dixit: Frater bone, ut quid arma portas in tempore pacis? Traditor respondit: Inimico meo juxta opus suum vicem reddere teneor, et ad vindictam ad praesens paratus sum. Jam scelus diutius celare non potuit, sed odiose dixit: Kanute, cujus est Dacia? Qui similiter respondit, dicens: Frater, cujus est Dacia, nisi patris tui, et patris mei, quamdiu Deo placuerit? Cui Magnus: Non sic omnes vadunt post te: tu tollis a nobis locum et gentem; et inter nos hoc modo melius dividi potest. Circumspiciensque Dux vidit armatos, et ait: Frater, scit qui omnia novit, me tibi aut tuis verbo vel opere numquam obfuisse. Et quare hoc fecisti? In hoc Sanctus surgere voluit, sed per cappae capitulum traditor eum indigne retrahens, gladio ab aure sinistra, in dextrum oculum, caput seidit, et cerebrum denudavit. Deinde ceteri lanceas in latere ejus fixerunt, et d Martyrem Christi fecerunt.

a Ripa urbs meridionalis Jutiae, sive Cimbricae Chersonesii, adiacet Nipse fluvio, istuc in Oceanum Germanicum illabenti. Sedes istuc Episcopalis, una e quatuor quae in Jutia sunt, subjecta Lundensi Archiepiscopo.

b Roskildia urbs Episcopalis, in Selandia, sive Sialandia, insula Danica, olim Regum sedes.

c Aliis Henricus Scatellerus; filius Suenonis qui S. Kanuti patruus erat.

d Martyr saepius dicitur in Officio de Translatione. Anonymus in historia compendiosa Regum Daniae studio Erpoldi Lindebrogii edita, etiam Martyrem appellat.

VITA

a  
Coram Rege  
accusatus ab-  
solvitur.b  
II Roskildiam  
ad comitia.c  
Magnus in  
ejus necem  
conspirat:Pertractum  
in insidiis oc-  
cidit.

d

## VITA EX HELMOLDO.

## CAPUT I.

## Canuti educatio, dignitas, bella.

**D**escripta a Henrici Principis Obotritorum morte, et filii utriusque Zuentepolci et Kanuti, nepotisque Zui-nike, post bella intestina, cæde, subjungit Helmoldus lib. 1, *Chronice Schaumburgensis Cyriaci Spangenbergii (excusi in Stadthagen anno Christi 1614) cap. 3*, contulisse Comitatum Holsatiae, Wagriae, et Stormariae, Domino Adolfo Comiti de Schawenburg. Unde ejus in hæc partibus præcipua auctoritas colligitur.

*e* Hic forte titulus honoris datus ei fuit, qui exercitui Danico cum imperio præfuit.

*f* Vulgo de Cropper-heyde, ubi a Magno S. Olavi filio, (qui post Canutum Durum, S. Eduardi uterinum fratrem, Daniae Rex fuit, memorabili prælio cæsa plurima Slavorum millia; unde vulgare etiam proverbiū: Du bist Kroppe noch nicht voor by; id est, Copenhædam nondum prætergressus es; in eos qui jactantunde se ante periculum efferunt, vel re levi gesta triumphandi exultant, cum præcipua adhuc moles incumbat. Ita Pontan.

*g* Hi fluvii Sliæ et Egdora isthmum faciunt, et pennisulam Jutia constituant. Geographis et Historicis Chersonesum Cimbricam dictam, Sliæ, seu alius Sliæ, infra Sleswicum in mare Balticum infuit. Egdora vero sive Eidora e regione se in Oceanum Germanicum cænerat. Limitem Danorum regni et Imperii Romano-Germanici constituant.

*h* De his plura in sequenti vita ex Saxone, cum hac conferenda. Quare Lotharius S. Canutum ad regiam dignitatem extulerit, docet Krantzius lib. 3. *Wandalia*, c. 30.

*i* Albertus Stad. in hominem.

*k* Wagri, Wagriae populi in Holsatia ad mare Balticum inter Lubecam et Sleswicum. Obotriti tum subjecti, a quibus caput bubulum pro insignibus dicitur retinuisse.

*l* Est Aldenburg ea, quæ Slavica lingua Starigard, hoc est antiqua civitas dicitur, sita in terra Wagrorum, nocciduis partibus Baltici maris, et est terminus Slaviae, Helmoldo c. 12, dicta dende Sigeberga: adiacet Travenæ fluvio; distat quinque milliaribus Lubeca, sex Hanburgo; sedes olim Episcopatus, in tres dein divisa, Raceburgensem, Mecklenburgensem, et ipsam Aldenburgensem, quæ Lubecam demum translata est.

*m* Albert. Stad. Subjectionem promitterent.

*n* Falderam scribit *Chronice Slavorum incerti auctoris, suo tempore Nigemunster dictam. Oppidum est Holsatiae ad fontes fere Stora fluvii, qui non procul a Luckstadio in Albim illabitur.*

*o* De S. Vicelino agemus xii Decemb.

*p* De Lubeca nobilissimo emporio, et Hanseaticarum urbium prima, legendi Petrus Bertius lib. 3, *Rerum Germanicarum, Werdenhaghen parte 3, rerum Hanseaticarum, cap. 12 et seqq. et alii rerum borealium scriptores.*

*b* Kanutus sub patruo Rege educatur.

*d* Adit Lotharium Ducem Saxoniae.

*e* Fit Dux Daniae.

*f g* Punit maleficos.

Facetum ejus dictum et factum.

Fit Rex Obotritorum.

*h*

*i*

*k*

*l* Varia gerit bella.

*m*

*n*

*o*

*p*

*a* De Henrici bellis cum Rege Nicolao, et S. Kanuto, in sequenti vita ex Saxone plenius agetur.

*b* Albertus Stadenensis hæc fere omnia hinc descripta refert, ad annum Christi xxxiii.

*c* Hæc ruina contigit a morte S. Kanuti in vindictam barbaræ crudelitatis Magni pericida.

*d* Hic Lotharius per quandam anticipationem Imperator dicitur, cum ante annum Christi xxxv, quo ad eam dignitatem eve-

AUCTORE  
HELMOLDO.

## CAPUT II.

## Canuti cædes, ejus ultio.

**Q**uibusdam interjectis pergit cap. 31, *Helmoldus*:

Circa tempus dierum illorum accidit, ut Kanutus Rex Obotritorum veniret Sleswich, habiturus cum patruo suo Nicolao curiale colloquium. Cum autem populus venisset in concionem, et Rex senior sedisset in throno, indutus cultu regio; Kanutus assedit ex opposito gestans et ipse coronam regni Obotritorum, stipatusque satellitum agmine. Sed cum Rex patruus videret nepotem suum in fastu regio, sibi que nec assurgere, nec osculum ex more dare, dissimulata injuria transitit ad eum oblaturus salutationem cum osculo: cui ille occursans ex medio, sese per omnia patruo et loco et dignitate adæquavit. Quod factum Kanuto lethale odium conscivit.

7 Nam Magnus filius Nicolai cum matre huic spectaculo assidens, incredibile dictu est, quanta ira exarserit, dicente ad eum matre sua: *a* Nonne vides quia nepos tuus sumpto sceptro jam regnat? Arbitrari ergo eum hostem publicum, qui vivente adhuc patre tuo nomen sibi regni usurpare non timuit. Quod si longius dissimulaveris, et non occideris eum, scito te et vita et regno ab eo privandum. His itaque verbis instimulatus cœpit insidias moliri, ut Kanutum occideret. Quod sentiens Nicolaus Rex, convocat universos Principes regni, deditque operam, ut juvenes dissidentes conföderaret. Dissensionibus ergo ad pacem inclinatis, jurata sunt utrimque fœdera.

8 Sed pactiones istæ apud Kanutum firmæ, apud Magnum dolis oblitæ sunt. Statim enim ut ficta soliditate animus ejus investigat, et omni suspicionis malo vacuum considerat, rogat Kanutum Magnus, ut occurrat sibi ad singulare colloquium. Dissuadet Kanuto uxor exitum, timens insidias, simul etiam exasperata somnio, quod præterita nocte viderat. Nec tamen vir fidelis retineri potuit, sed sicut laudatum fuerat, occurrit ad locum placiti, comitatus quatuor

Nicolaus patruo æqualis incedit.

*a* Magnus in eum conspiciat.

Conciliantur.

Occidit eum Magnus.

**AUCTORE HELMOLD.** tantum viris. Adest Magnus cum totidem viris, amplexatumque deosculatur nepotem, consederuntque tractaturi negotia. Nec mora: surrexerunt insidia de latebris suis, percussusque Kanutum interfecerunt, divisoque membratim corpore, crudelitatem etiam in mortuo exaturare gestierunt.

**b** 9 Audito autem sinistro hoc nuntio Lotharius Imperator, cum conjuge sua *b* Rikenza, non modice contristati sunt, eo quod corruperit vir Imperio amicitia conjunctissimus. Venitque cum grandi exercitu prope civitatem Sleswich, ad vallum illud notissimum *c* Dinewerch, ulturus mortem funestam optimi viri Kanuti. Considerat e regione Magnus, cum immenso Danorum exercitu, defensurus terram suam. Sed terribis virtute Teutonici militis, apud Cæsarem immenso auro, et hominio, impunitatem indemp-

**Ericus Canuti frater ultionem parat.** 10 Videns ergo Ericus frater Kanuti, natus de concubina, quia refriguit Cæsaris ira, cœpit armari in ultionem fraterni sanguinis, currensque terra et mari congregavit multitudinem Danorum, execrantium impiam cædem Kanuti. Sumptoque regio nomine, cœpit frequentibus bellis incursare Magnus: sed superatus, sed fugatus est. Unde etiam Ericus Hasenvoeth, id est, pes leporis, propter fugam continuam appellatus est. Dania tandem exturbatus, confugit in civitatem Sleswich. Illi autem memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperunt virum, parati pro eo ferre mortem et exterminium. Quamobrem Nicolaus et filius ejus Magnus præceperunt omni populo Danorum, ut descenderet ad pugnam Sleswich, crevitque obsidio in immensum, ... frustrato tamen labore: nam neque civitate neque hoste potitus est. Laxata enim hieme pariter et obsidione,

**d** Ericus elapsus venit in maritimam *d* Sconia regionem, conquerens ubique innoxiam fratris cædem, et proprias calamitates. **e** Audiens ergo Magnus quia comparuit Ericus, accedente æstate, direxit expeditionem in Sconiam cum innumera classe. At ille considerat e regione, stipatus accolarum licet brevi numero. Soli enim Sconenses universis Danis restiterant. Cum ergo Magnus in sacro die Pentecostes aciem urgeret ad congressum, dixerunt ad eum venerabiles Pontifices: Da gloriam Deo cæli, et habe reverentiam diei tantæ, et quiesce hodie, pugnaturus in crastinum. Qui monita contemnens, aggressus est prælium. Produxitque Ericus exercitum suum, et occurrit ei in manu valida. **f** Ceciditque Magnus in die illa, percussaque sunt universa Danorum agmina a viris Sconensibus, et ad interneconem deleta.

**g** 11 Et factus Ericus ea victoria insignis, et creatum est ei nomen novum, ut Ericus *g* Emund, hoc est, memorabilis appellaretur. Porro Nicolaus Rex senior navi elapsus venit in Sleswich, percussusque est a viris civitatis in gratiam victoris. Ultusque est Dominus sanguinem Kanuti, quem interfecit Magnus, prævaricator jurisjurandi quod juravit. Et **h** regnavit Ericus in Dania, generavitque ex concubina Thunna filium, nomine *i* Suein. Sed et Kanuto erat filius nobilis Waldemar. Magnus quoque genuit Kanutum. Remanseruntque hæc regalia incrementa Danorum populis, in quibus exercebantur, ne forte amisso usu præliandi quandoque insolescerent. Solis enim civilibus bellis præpollent. Postquam ergo mortuus est Kanutus, cognomento Lawardus, Rex Obotritorum, successerunt in locum ejus Pribizlaus atque Nictus, bipartito Principatu, uno scilicet Wargirensium atque **k** Polaborum, altero Obotritorum provinciam gubernante.

**a** Ante mater in Ripensi colloquio conata fuit utriusque et *S. Kanuti nepotis, et Magni filii, animos exacerbatos pacare, ut infra ex Saxone dicitur.*

**b** Aliis Rixa et Richiza dicitur: filia fuit Henrici Pinguis Ducis Gottingensis, et Gertrudis filia Egberti Marchionis Mismia.

**c** Aliis Banewirka et Dennewerk. Agger hic ductus est per

transversam Chersonesum a Danis contra Saxonem Nordalbingos, et Obotritos, quorum frequentes in hos agros erant incursiones. *Aimoinus lib. 4, hist. c. 96, hoc opus refert ad Godefredum, sive Gotricum, Danorum Regem, Gothofredus, inquit, limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit eo modo, ut ab Orientali maris sinu, (quem illi Ostarnalt appellant) usque ad occidentalem Oceanum totam Egidore fluminis Aquilonarem ripam munimentum valli prætereret, una tantum porta dimissa, per quam carra et equites emitti et recipi possent. Diviso itaque opere inter Duces copiarum domum reversus est. Ad annum MCCVIII, hæc a Chronologis referuntur, quo Godefredus regnabat. Spatium aggeris est octo aut novem milliarius. Hoc opus tum captum, circiter annum MCCCL, sub Rege Haraldo Blaataand reparatum et communitum luculentius: extractæ in eo turres, vel speculæ potius, per intervalla ita dispositæ, ut ex iis hostis adventans facile conspici posset. Curavit tum opus illud Haraldus mater Thyra, cognominata Danebod, Gormonis seu Germondi Regis nuper vita functi vidua. Demum quo esset terrestris motus solidior structura, jussit Rex Waldemar. S. Kanuti filius cocti lateris murum superjici. Simili præsentura Scotiam ab Anglia distinctam esse, diximus supra in vita S. Cædæ Episcopi.*

**d** Aliis Scania, Scandia, seu Scandinavia, quam antiqui insulam putarunt. Hæc continens est una cum Suedia et Norvegia. Dicitur superat reliquis Dania provinciis. Metropolis ejus Londa est, seu Lundia.

**e** Albert. Stad. sequentia refert ad annum MCCXXXIV.

**f** Albert. Stad. Ceciditque Magnus in die illa, cum quatuor Episcopis et multis Clericis, deletique sunt a Sconensibus usque ad interneconem. Saxo descripta Danorum clade, ita in fine lib. 13. eam concludit: Crediderim hanc victoriam humanis parum viribus partam; sed Deo piissimi viri interitum ulciscente concessam. Neque bellum aliud crebriorem Pontificum cruorem absumpsit. Quippe Petrus Roskildensis, et Henricus Suetiarum partium Pontifex, omnesque Jutiæ præter unum Antistes hoc prælio oppressi traduntur.

**g** Alberto Stad. Emun, aliis Emundt seu Emundus.

**h** Regnavit Ericus quatuor annis. Occubuit a nobili Juta lancea transverberatus anno MCCXXXIX.

**i** Sueno aliis, successit Erico Lam an. MCLVII cum Waldemaro S. Kanuti filio, et Canuto V Magni filio.

**k** Polaborum sedes primaria fuit Ræceburgum, initio Comitatu, post etiam Episcopatu celebre. Polabos a regionis planicie nomen sibi indidisse suspicatur Heinicus Heinæccius in Append. 1. ad Helmoldum.

## VITA EX SAXONE GRAMMATICO

### CAPUT I.

#### S. Canuti liberalis indoles, nuptiæ.

**N**arrata sancti Regis Daniae Kanuti cæde, suffectum *Canuti pater* illi in regnum Olavum fratrem commemorat Saxo Grammaticus: Ericum vero, qui Kanuto semper faverat, in Sueciam cum Botilda Regina fuga elapsus; mortuo deinde Olavo reversum ad suos regnum capessivisse. Fuere autem Erico, inquit, filii Haraldus, Kanutus, et Ericus: sed primus concubina, secundus matrimonio, tertius adulterio ortus proditit.

**2** Voti deinde exsolvendi gratia Hierosolymam profecturus Ericus Haraldum filium, quem præstantior ætas honori tempestivum effecerat, Regis partibus perfunctorie donat. **a** Skyalmoni vero Candido, splendissimæ atque integerrimæ dignitatis viro, cui non solum totius **b** Sialandiae sed etiam **c** Rugiæ, vectigalis a se factæ, procurationem detulerat, peragenda circa Kanutum educationis officium mandat. Ericum autem obscuriore loco natum, hebetiore quoque cura complexus, minoris potentiae tutoribus applicavit.

**3** Mortuo in Cypro insula cum conjuge Erico (ut lib. 13, proseguitur Saxo) evectus ad regnum est Nicolaus ejus frater, ultro cedente, qui senior erat, Ubbone fratre. Tum Margareta *d* Ingonis et Sueonum Regis filia, Nicolai Regis conjux, filio Magno ampliolem propinquorum favorem affinitatum beneficio creare cupiens, Kanuto *f* Ingiburgam sororis filiam conjugio copulavit.

**4** Interea Henricus Guthskaldi Wandalarum Principis ex Siritha Nicolai Regis sorore filius, maternis a Nicolao bonis indigne spoliatus, acrem eorum repetitorem agere cœpit. In quodam adversus eum a Nicolao parum prospere commisso prælio, Kanutus per summam vulnerum acerbiter pedum firmitate defectus, promptissimam militis fidem expertus est. Qui ne Dominus ab hoste interciperetur, periculum ejus

*Canutus in prælio a milite servatus.*

ejus

**Magnum prælio vincit et occidit.**

**Vit Rex Daniae.**

*Canuti pater Ericus, hex Daniae.*

*Pædagogus Skyalmon Candidus:*

*d e Exor Ingiburgu.*

## CAPUT II.

## Canuti Ducatus : bella : pax inita.

ejus suo discutere non dubitavit. Sociis namque de industria fugere jussis, ipse corporis simulatione cursum lentius agens, imminenti sibi Sclavo manus obtulit vincendas, ejusdemque propius obequitantis habenas corripiens, lata a sociis ope, equo barbarum spoliavit. Quo potitus, protinus eo summam Kanuti imbecillitatem adjuvit. Igitur ut callidae, ita periculosae fortitudinis felix exitus fuit....

§ Ea tempestate missi a Kanuto qui pecuniam, quam educator ejus depositi nomine conservaverat, in *g* Fioniam et Sialandiam transferrent, cum ab utroque littore aequo distante navigio, procul piratas imminere conspicerent, expensam fune crumenam undis occultavere. Postremo cum se parum potentes remigii animadverterent, fugae diffidentia implicati, resciso tenaculo, vetustas Regum opes arenis, quam hostibus relinquere maluerunt. Quam rem Nicolaus in Sialandiam ex Fionia trajiciens tametsi eminus specularetur, periclitantibus praesidio fore nequivit, quod exiguis et inhabilibus ad remigium navigiis uteretur. Postea cum Kanutum jocundum praese vultum ferentem conspiceret, oris hilaritatem increpans ob recentem aviti paternaeque aëris jacturam, dolere ei admodum expedire dicebat. Ille nihil hac se moveri fortuna dicebat, sed ejus beneficio summam liberalitatis occasionem accepisse respondit : ut enim ante nihil ex paternarum opum cumulo decerpere ausum, ita deinceps accessuras abunde erogaturum. Maximum quippe avaritiae nutrimentum divitias esse, quas quisquis asservare intenderit, humanitati vacare non possit. Qua voce se pecuniae, sed eam Regi imperare monstrabat. Cujus rei praecipuum extitit documentum quod sequitur.

a *Altilis* Scialmon Vidus, ex illustri Vidorum prosapia oriundus, nec minus facundia et pietate, quam natalibus et prima apud Reges amicitia clarus. Ita Pontanus Saxo Candidum vocat; quod Latine redditum ex Teutonica voce vit seu vidt. De ejus officiis et praefectura agit Saxo praecedentibus libris.

b *Selandia* aliis, et *Zealandia*, *Selandi* insula, inquit *Adamus Bremensis*. *S. Canuto antiquior*, est in interiori sinu maris Balthici sita, quantitate maxima. Haec tam fortitudine virorum, quam opulenta frugum celeberrima longitudinem habet bidui, cum latitudo fere sit aequalis. Civitas ejus maxima Roschild, sedes regia Danorum. Haec *Adamus*. *Sedes modernorum Regum est Hafnia*, vulgo *Copenhagen*, quasi *Kopmanshaven*, id est mercatorum portus. Est *Hafnia* urbs maxima non solum *Selandiae* lujus, sed totius *Daniae*, diu a morte *S. Canuti* caepa extrui.

c *Rugia* insula maris Balthici, ab occasu et meridie obijctur *Pomeraniae*, qua parte *Bardum* est *Stralsundum*, *Gryphiswaldum*, et *Wolgastum*: exigua olim fossa, nunc freto sex millibus passuum lato a continenti dissita. Incolae *Helmoldo* *Rugiani*, *Rani*, et *Rimi*, populi crudeles, habitantes in corde maris, idololatriae supra modum dediti, primatum praeferentes in omni Slavorum natione, habentes Regem, etc. *Horum instinctu Obotriti seu Slavi occidit, Godescalcum Principem suum in odium fidei rebelles subditi occiderunt vi Junii*, (quo die de eo agemus) et *Cruconem*, sive *Critonem*, Regem *Rugiorum* sibi Principem elegerunt, exclusis filiis *Godescalci*, quorum junior *Henricus* fugit ad *Danos*, senior *Buthue* ad *Saxones*, qui cum exercitu ditionem paternam ingressus perfide *Cruconi* traditus est, et interemptus. *Henricus* *Dania* egressus, collecto de *Danis* et *Slavis* navium numero adeo attrivit maritimam *Slavorum* provinciam, ut *Henrico* concessa ad habitandum regio et *Dano* *Rugia* feret vectigalis.

d *Iugo* *CXX*, *Rez* *Sueciae* passim describitur a *Joanne Magno* lib. 48, *histor. Gothorum et Sueonum* cap. 14.

e *Horum* sedes, hodie ipsismet incolis et conterminis *Danis* *Sueviae*, quasi *Suenrige*, sive *Sueenrige*, id est *Sueonum* regnum. Antiquis *Germanis* *Sueon*: unde *Latinum* *Sueones* *Eginhardo*, *Tacito* *Suiones*. *Germani* meridionales dixerunt *Suethans*, unde *Jornandi* sub initium de rebus *Gothicis* *Suethans*. Nunc *Germanis* passim dicuntur die *Sweden*, et *Latine* *Suedi*, *Suethi*, *Sueci*, *Jornandi* etiam *Suetidi*. *Helmoldus* *Sueonessu* tempore *Nordmannos* asserit appellari. Praclare describit eos *Adamus Bremensis* libello de situ *Daniae*, et reliquarum, quae trans *Daniam* sunt, regionum.

f *Ruthena* fuit, filia *Jaristai*, qui aliis Princeps *Ruthenorum*, aliis Rex *Russorum* dicitur. *Littus Australe* maris *Balthici*, inquit *Helmoldus*, *Slavorum* incolunt nationes, quorum primi sunt *Ruzi*, deinde *Poloni*, etc. Deinde: *Russia*, seu *Ruzia*, a *Danis* *Ostrogard* dicitur, eo quod in Oriente posita omnibus abundet bonis. Haec etiam *Chunigard* dicitur, eo quod ibi sedes *Hunorum* primo fuerit.

g *Insula* est inter *Juliam* et *Selandiam* media; *Adamo* *Fini*, quod vernacule loquentibus pulchrum sonat. *Metropolis* ejus *Oltonia* urbs *Episcopalis*, templum habet *S. Canuto* (hujus nimirum patroo, isthuc occiso) *sacram*, elegantis structurae: In eo conventum fieri frequentissimum circa festum *Epiphaniae*, omnium prope modum indigenarum et nobilitum, scribit *Pontanus*.

Cum ob creberrimas acerrimasque finitimorum excursiones, nemine a *Slesvicensis* praefecturae beneficium, etiam oblatum, recipere audente, *Kanutus* tam periculosum a patroo honorem, non opum cupiditate, sed fiducia virtutis expeteret, neque gratis eum impetrare quivisset, vendita patrimonii parte, formidolosum aliis munus pretio assecutus est; eam demum quaestuosam esse militiam ratus, qua gloriae et claritatis stipendium potuisset acquiri. Ita *Rex* extimescendum ignaviae decus virtuti *b* venale fecit: emptor vero plus lucri in militiae quam opum agitatione reposuit.

7 Principio siquidem perceptae potestatis *Henrico* per legatos mandat, libenter se cum eo de pace acturum, si primum et damna *Juliae* emendatione pensata, et spolia ab ipso restituta fuissent. Quibus profectis, ipse interim, perinde ac responsi praescius, non solum suorum, sed etiam eorum quos ex finitimis amicos habebat, manu contracta, legatorum reditum armis subsequi statuit. *Henricus* se neque cum *Danis* amicitias gesturum, neque a maternae hereditatis petitione cessaturum respondit. Quo accepto *Kanutus* rursus ad eum legatos mittit, omnem sequestrae pacis communionem publice recusuros. Quorum *Henricus* irrisa legatione, *Kanutum* impatienti sessoris equo persimilem ait, se vero petulantiae ejus frenos injicere curaturum.

8 His auditis *Kanutus*, ut magno impetu, ita minimo tumultu noctu iter ingressus, ferrique et praedae abstinent, quo minus adventus ejus provideretur, diluculo ad *Henrici* *c* munitionem pervenit. Ille tam subite irruptionis incautus, nec arma capere, nec se praesidio tueri parat; sed protinus vicinum moenibus *d* flumen equo attentans, unico aquae interstitio hostem fefellit; laetatusque est quod salutem suam amni, quam oppido credere maluisset. Quem cum *Kanutus* ulteriore jam ripa potitum aspiceret, an maderet, per ludibrium percontatus est. A quo e contrario, quid ita incederet, interrogatus, venisse se, inquit, ut promissa ab eo lora recipiat. Ille minas sibi, quas nuper intenderat, responsi urbanitate exprobratas intelligens, ignominiam joco prosecutus: Adeo mihi, inquit, calcium viribus obniti videris, ut ne tangi quidem continerive queas. Tunc *Kanutus* prius castrum, deinde caetera regionis culta vastavit. Secundo quoque novatis copiis omnem e *Slaviam* strage atque incendio implicavit: nec solum patriam hoste, sed etiam hostem robore vacuefecit; adeo ut prius provocare solitum, ne propriae quidem tutelae sufficientem relinqueret.

9 Postremo cum totas *Henrici* vires prudentia sua ac fortitudine debilitasset, sanguinis, quo illum proxime continebat, natura actus, ut publice hostem, ita privatim amicum egit. Semel namque dimisso exercitu, viginti dumtaxat equitibus comitatus, ad locum in quo *Henricum* diversari didicerat, cursum direxit, praemissis qui suae ei salutationis mandata perferrent. *Henricus* falso hostem sibi blandiri inquam, protinus ubinam esset perquirere institit. Quibus eum in porta adesse referentibus, ipse nuntio attonitus, mensam, ad quam forte prandendi gratia discumbebat, vi manus discutere parat. Tunc Legati praesentiam Ducis a pace profectam jurantes, conceptum falso metum affirmationum suarum perseverantia discusserunt. Quibus ut *Henricus* fidem habuit, fugae meditationem amoris indicio castigavit. Enimvero tabulae innixus, suffuso lacrymis ore, infelicem *Daniam* futuram dum tali viro caruerit, aiebat; se vero amicitiam ejus sincera amodo fide culturum.

Hunc

g  
Thesaurorum  
jacturam  
a quo animo  
fert.

Insigne ejus  
apophthegma.

a  
Slesvicen-  
sem Ducatum  
emil.

b  
Hosti pacem  
offerit.

c  
Noctu hosti-  
lem munitionem  
invadit.

d

e  
Hostilem di-  
tationem vastat.

Cum paucis  
hostem adit,  
ut eum recon-  
ciliet Regi.

AUCTORE  
SAXONE  
GRAMMATICO.

Hunc nimirum consanguineus amor et suae infelicitatis oblivisci, et hostis virtutem fateri coegit, utque propriae fortunae immemorem, ita alieni laudatorem effecit. Deinde praesentem amplexatus, haud parcius lacrymas quam epulum praebuit. Quippe praesentem ejus mansuetudinem, quam praeteritas noxas, attentius intuens, frequentiae damnorum unius beneficii indulgentiam anteposuit.

Pax initur  
magna Canuti  
prudentia.

10 Sed neque Kanutus profectum a pietate morem ingratus excepit. Quinetiam plus in creanda pace quam fruenda dape voluptatis reponens, et quasi mediatoris partes agere exorsus, Henricum avunculi gratiam expetere jussit, ac demum consensum ejus perseverantia admonitionis obtinuit. Siquidem Henricus rem maternam, cujus repetendae causa adversa Danis arma tulerat, pretii pacione interposita, Kanuto in possessionem adscripsit, eandemque Kanutus ad Regem conditionem, qua acceperat *f* transtulit; ac deinde receptam ab eo pecuniam Henrico numeravit.

a Quam misere, inquit *Cypræus* cap. 21, hoc bello et irruptione Slavorum, post necem *Godeschalci* facta, urbs Slesvicensis direpta, expilata, et vastata sit, aedificiis dirutis et prostratis, rudera subterranea adhuc indicio sunt. Nam jacentibus nova fundamenta, aut paulo altius fodientibus solum, in quo urbs sita est, ubique tres plateae, et tria plurave pavimenta sese offerunt: item foci tres pluresve lateribus strati, alter alteri impositus et superinjectus.

b *Ducatum quatuor de causis S. Canuto a Rege venditum scribit Cypræus* cap. 20. Primo, quod S. Canuto in compensam regni, quod a parente ejus Erico occuparat, ditionem aliquam dare cogebatur. Secundo, ut filium Magnum regi heredem relinquere posset. Tertio, quod Slavos reprimere non posset, nisi ope S. Canuti. Quarto lucri cupiditate, ut hic dicitur.

c *Hieron. Cypræus in Annot. mss. ad Helmodum, cap. 24, existimat castrum hoc esse, quod vulgo Jurgensburgum, in honorem D. Georgii prope Slesvicum aedificaverat Henricus. Ad dit Adolphus Cypræus, hujus S. Georgii imaginem sigillo impressam, obsignandis litteris adhibuisse Duces Slesvicenses, quarum plurimas videt.*

d *Siam.*

e *Crantzius lib. 3 Wandalia, cap. 27, hæc fusius prosequitur, et Henricum ait fugatum in Lubecam veterem, quo in loco mansio illi fuit cum presidio.*

f *Crantzius. In eam sententiam, inquit, conveniunt, ut Kanutus Henrico argentum dependens ac numerans, ejus (ut in Dania) ab Rege suae partis accipiat hereditariam possessionem.*

### CAPUT III.

#### Slaviae delatus ei Principatus. Fratres reconciliati.

Heres a Principe Slavorum instituitur Canutus.

a **A** quo etiam postmodum ad convivandum accersitus excipitur, affirmante priori ejus adventu minus quam decuit impense servitium. A quo etiam Henricus nuper se vita atque incolumitate donatum judicans, Slaviam ei jurisjurandi firmitate legavit. Huic accessit, quod ad gerenda cum a Teutonicis bella, a quibus praecipue Slavia vexabatur, filiorum virtutibus diffidebat, maluitque maturum fortitudine heredem circumspicere arbitrii sui libertate consciscere, quam sub naturali, sed invalido, patrimonium exteris pervadendum relinquere. Haec offerentem Kanutus impietatis sibi notam, immerentium liberorum contemptu, paritutum affirmat, seque tam injustis ejus promissis usurum negat. Postremo perseverantissimis Henrici precibus superatur, propositi rationem a natorum socordia mutantis.

b Imperatorem sibi conciliat.

c **12** A quo etiam *b* Imperatoris gratia, quod Slaviam in ejus beneficio reponi videretur, admodum egere praemonitus, equum ei *c* calces auro confixum muneris loco transmisit, donumque per se habile inusitatis unguularum ornamentis accipienti venerabilius reddidit. Crediderim tunc Imperatorem plus laudis in dantis industria, quam dono reposuisse, cum primi pretii metallum quo contemptibilis habitum, hoc gloriosius videret oblatum. Absumpto Henrico legatam sibi provinciam *d* nullo refragante possedit.

**13** Interea Haraldus cum nec domi clarus, nec

foris celes haberetur, virtutis inopiam quaestuum copia levare cupiens, refertum nequitia animum in imam turpitudinis voraginem egit. Ad rapinas et furta mancipii utebatur. Servorum labores latrocinii applicabat. Satellitum cultui viciniae spolia, sumptui impendebantur armenta. Aestatem piratica pariter civibus atque exteris insidiosus exegit. Ceterum quo Roskildiae damnosius immineret, adversam ei munitionem erexit, quam et sordidissimae clientelae frequentia complevit. Itaque ruris opima populatus, pari vernarum maleficio civilia lacerabat. Qui clam noctu meritoriis sese tabernis subjicientes, complacitas animo merces impune tollebant. Aliis interim districtos hospitem jugulis gladios applicantibus, interitumque minantibus, ni injuriae patientiam praebant. Ea furti violentia summam civitatis opulentiam ad ultimas rei familiaris angustias redegit.

Haraldus Kanuti spurius frater latrocinatur.

**14** Talibus calumniae stimulis lacessita provincia, accensis indignatione animis, ultrices damnorum manus Haraldus bonis injicere aggressa, spolia spoliis, rapta raptis ulciscitur. Neque enim sibi aliena corripere, sed propria resumere videbatur. Ipse tuto terras tenere nequiens, consternatae multitudinis impetum navigio vitavit. Quem Kanutus alieni rapacissimum, ac vitiosissimum ubique lucris incumbentem aspiciens, avi persimilem aiebat, omnigenis alitum pennis nidum compaginanti, subito ventorum turbine dejiciendum. Ita Haraldum praedone omnium effectum, omnibus praedam ex se daturum, aliorumque spolia suorum indubitanter periculo luiturum.

Varie ob scelera exagitur.

**15** At Erico modestum erga populares ingenium erat. Qui cum debitum sibi paternae rei portionem expeteret, ab Haraldo fratre repellitur, negante adulterio ortum ad hereditatis communionem pertinere. Ea re, ut par erat, motus, acerrimum bonorum ejus pervasorem agere cepit, fraternisque spoliis injurias suas ulcisci, probitatis loco duxit. Ceterum Arvacum rapta congressit, sordido neglectoque loco splendidas opes complexus. Quem Haraldus noctu ibidem inopinatum adortus, postquam fuga delapsam cognovit, morae copia non suppetente, circa praedam haerere metuens, recto fauces subjecit, refertamque suis opibus aedem flammis absumere, quam raptori intactum dimittere maluit.

Insurgit in eum Ericus frater.

**16** Quo comperto, Kanutus profectas a contemptu lites comescere cupiens, metuensque ne degenerati patris fulgor in filiis exolesceret, utriusque Slesvicum venire districtius mandat, si supersedeant, parte corporum spoliandos minatur. Praesentes deinde fratres coarguens, curiosa animi inspectione aequissimam inter eos patrimonii participationem peregit, Ericoque ac Haraldo in paterna bona eundem judicavit.

Canutus eos reconciliat.

a Teutones, sive Teutonos, Daniam fuisse populos vult *Claverius l. 1, Germania* cap. 9. Canuti avo Saxones eo nomine appellatos patet ex *Helmoldo, qui militem Lotharii Imperatoris Teutonum appellat. Sic lingua passim Germanica Teutonice dicitur.*

b *Crantzius lib. 3, Wand. cap. 29, refert Henricum apud Lotharum procurasse, ut Wandalia, quae jam dudum sub Ottonibus in ditionem concesserat Imperii, Kanuto permitteretur administranda.*

c *Crantz. auro undique circumfulgentem, nescio si et auro calceatum, sed auro non sufferratum scio. Helmoldus et Albertus aiunt multa pecunia a Lothario regnum emisse.*

d *Helmoldus et Albertus Stadenensis narrant, Henrico filios successisse, et bellis intestinis tranquillitatem temporis perturbasse. Crantzius cap. 31, putat eos regnum, S. Canuto alibi impedito, invasisse: illis deinde occisis Principatum a Lothario ad S. Canutum translatum. Sed nec sic quidem pacifice obtinuit, quod eum Pribislaus Henrici frater, et Niclotus Major terrae Obotritorum bello sibi vindicavit, quibus in praetio captis provinciam nullo refragante possedit.*



## CAPUT IV.

## Odi in eum invidiæque initia.

a  
In suspicio-  
nem incestus  
vocatur Canu-  
tus.

Eodem tempore a Henrici Suenonis filii conjunx, mariti convictum ingenti perosa fastidio, aliena veste sumpta, suis se penatibus intempesta nocte subduxit. Apud quam juvenem quidam (ut fama est) plurimam obsequio familiaritatem adeptus, callide effecit, ut ad suam eam amorem perduceret. Deinde ne res amorum periculo proderetur, muliebriter allectam viriliter cultam furtive devexit. Quam vir ejus fortuitis subsecutus indicium, apud Alaburgiam in cultu familiariter deprehensam, amatore delapso, domum reduxit. Verum hanc ignominiam a clandestino Kanuti consilio profectam ratus, integerrimi viri innocentiam tacitis suspicionis motibus insecutus, insontem notabat.

b  
c  
Magnus Canu-  
ti patruelis  
fuit Rex Go-  
thia.

17 Interea Suevicarum partium Rege b assumpto, Gothi summam, cujus omne penes Sueones arbitrium erat, Magno deferre ausi, alieni privilegii detrimento dignitatis sibi incrementa querebant. Quorum Sueones auctoritate contempta, veterem gentis suæ prærogativam in aliquanto obscurioris populi invidia deponere passi non sunt. Igitur antiquæ dignitatis speciem intuentes, titulum injusta collatione præreptum, novo d Regis electu cassarunt. Qui mox a Gothis trucidatus, morte Magno imperium cessit. At Magnus incidentem sibi nuptiarum cupidinem. Polonorum Præsidis e Bokislavi filiam postulando complevit. Qua sibi per internuntios desponsa, mox Sclavia excitam paterno imperio classem admovit, Rex cujus f Vartislavus diutinas cum Danis Polonisque inimicitias gesserat. Hic Nicolaus urbem g Ornam oppugnare adorsus, obsidionem pactione redimere coegit. Inde h Julinum navigans, Bokislavum magna manu instructum obvium habuit. Cujus copiis auctus, celerem oppidi expugnationem peregit: deinde relicto victoriæ socio allatam filio sponsam abducit.

d  
e  
Ducit filiam  
ducis Polo-  
nia.

18 Vartislavus rem Slavicam intolerabili vastationis onere fessam conspiciens, pacem colloquio petiit. Quo parum prospere habito, pari supplicatione apud i Strelam discedentes aggreditur, ubi cum pacis pignoribus fretus, navigium Regis ab ipso invitatus intrasset, maligno satellitum instinctu captivi more habitus regredi prohibitus est. Quam rem Kanutus in concione querela prosecutus, magnopere Regem monere copit, ne plus alienæ perfidiæ viribus, quam propriæ indulgeret temperantiæ, neve hostem fidem suam secutum captione implicans, ut eum libertate, ita seipsum perpetuo famæ splendore privaret. Fore enim, ni captivum emitteret, ut privatum crimen publicus patriæ rubor existeret. Itaque efficaci persuasione usus, et amicum oppressionem et Dominum infamia liberavit. Quæ tam justa Kanuti sententia totius concionis suffragiis comprobata, magnum alienæ invidiæ irritamentum præbebat.

f  
g  
h  
Efficit Canu-  
tus ut data  
hosti fides  
servetur.

19 Dimissa classe, nuptialia sacra apud urbem Ripam agi placuit. Illic siquidem frequens navigiis portus, oppido splendidam mercium varietatem importat. Ubi cum Kanutus in veste Saxonica ceteris cultior progrediretur, Henricus obfusis invidia oculis alieni cultus splendorem ferre nequens, orta inter ipsos altercatione, latus ejus adversum gladios ostro tutum fore negavit. k Quem Kanutus nullo magis ovillis securum tergoribus respondit: lacessitum vestis suæ fulgorem urbano rusticitatis opprobrio speciosius quam minis aut conviciis ultus. Itaque exprobratam sibi externi cultus emulationem, domesticæ cavillatione prosequi contentus extitit.

k  
Convicium  
joco repellit.

20 Idem postmodum Orientis partes piratica pervagatus, cum speciosa domum spolia retulisset, ideoque se dignitatis incrementa accepturum speraret, pro gratia accusationem expertus est, culpatus a

Rege, quod in re Suecica prædam egisset. Cujus operam valenter editam consimili probitatis genere æmulatus Magnus, inter cetera tropæorum suorum insignia inusitati ponderis malleos, quos l Joviales vocabant, apud insularum m quamdam prisca virorum religione cultos, in patriam deportandos curavit. Cupiens enim antiquitas tonitruorum causas usitata rerum similitudine comprehendere, malleos, quibus cæli fragores cieri credebat, ingenti ære complexa fuerat, aptissime tantæ sonoritatis vim fabrilium specie n imitandam existimans. Magnus vero Christianæ disciplinæ studio paganam perosus, et fanum cultu, et Jovem insignibus spoliare, sanctitatis loco habuit. Et adhuc quidem eum Sueones perinde ac cælestium spoliatorum raptorem sacrilegum autumant. Sed utinam initiis ejus exitus respondisset!

ACTORE  
SAXONE  
GRAMMATICO.  
Re bene gesta  
arguitur.

l  
m  
Magnus Sue-  
corum idola et  
fana diripit.

a S. Canuti patruelis.  
b Ingone, avo materno Magni, Ita Joan. Magnus lib. 18, hist. Goth. cap. 13.

c Adamus Bremensis ex ore, ut memorat, Suenonis Esthritti, avi S. Kanuti: Ex ipsis populis Suediæ, inquit, proximi ad nos habitant Gothi, qui Occidentales dicuntur, alii sunt Orientales. Verum Westergothia confinis est provinciæ Danorum, quæ Scania dicitur, a qua ferunt diebus septem perveniri usque ad civitatem magnam Scaranæ. Deinde Ostrogothia protenditur juxta mare, quod Balthicum dicitur, usque ad Birkam. Joan. Magnus de hac Magni in Regem a Gothis facta electione agit cap. 16.

d Is erat Ragualdus, cxxi, Sueonum Rex, ab Ingonis paternis moribus (si ejus filius fuerit) degener, de quo videndus Joannes Olus, qui eum navali a Westrogothis occisum in vindictam mortis Ingonis ejus cooperatione acceleratæ; alii ob adventum in Gothiam non præmonitum, ut jura exigebant, interemptum ferunt. e Crantzio in Wandal. Bolislaus Polonus, in Dania Bokislavus Polonorum Dux, Joanni Magno Bogoslavus Præses. Is fuit Bolislaus III Crivostus, Dugossus apud Cromeram lib. 3, rerum Polonicarum corrigendus, dum refert anno Domini mcccxxvii, Bolislaum filio suo filiam Regis Danicæ cum ampla dote usorem accepisse, eam filiam suam filio Regis Danicæ nuptiis tradiderit. Nam quis hic ejus alioquin filius fuerit, prudenter dubitat Cromerus, quod Vladislavus nati maximus, e Sbislava susceptus, habet Christianam uxorem superstitem, Casimirus autem vix septimum tunc annum attingeret.

f Crantzio Warcislaus et Vartislavus, Princeps superioris Wandaliæ. Ab eo omnes Pomeraniæ Duces fuisse prognatos ostendit Petrus Bertius lib. 2, rerum Germanicarum cap. 21. De eo agemus in Julii in vita S. Othonis Episcopi Bambergensis, a quo cum patre Casimiro ac ingenti subditorum numero, an. Ch. mcccxxv fertur baptisatus.

g Crantzio Ustra et Cosva dicitur.  
h Emporium Vandalorum, amplum olim et potens, in insula Julia situm ad lacum magnum, quem fluvii Panus, Zavinus, et Divinovus efficiunt. Urbs olim Episcopalis, sed cum perpetuis Danorum bellis attrita esset, Episcopatus est Caninum translatus. Legendus de Julino Werdenhagen par. 3. Hansent. cap. 23.

i Strela, vel Strala, insula est fretum quod Rugiam a continente dirimit. Ab eo mantissimum oppidum Stralsunda denominatur, quasi fauces Strate, ut Crantzius lib. 7. Wandaliæ cap. 5, refert, indicans Sund, Danicæ lingue vocabulum, angustam maris fauce significare.

k Locus obscurus, quem sic refert Crantzius lib. 3, Danicæ cap. 9. Henricus inter acerba joca Kanuti vestem irridens, Nihil, ait, latus ostro, quam panno simplicis, adversus gladios esse munitus. Ille refert: Sed ne ovillis quidem pellibus, jocum joco retundens.

l Joviales hos Sueonum malleos describit Joan. Magnus lib. 1, hist. Goth. cap. 13.

m Pontanus Suenonibus viciniam, Crantzius Jovialem nominat.

n Joan. Magnus ait eos existimasse religiosum admodum esse bellis Deorum suorum, quos tunc ab aliis oppugnari credebant, sic adesse.

## CAPUT V.

## Affectati regni crimen confictum.

Verum plerisque Magnum sanguine vel necessitudine contingentibus Kanuti invisa felicitas erat. Nihil enim adeo invidiæ faces, quam parium impar virtus, excitat. Sed præcipue æmulum ei Henricum genialis thori contumelia faciebat, Margareta autem benignissima consanguineæ caritatis alitrix, consilii sui tranquillitatem concitatis juvenum ingenis opponebat, saluberrimaque disciplinæ moderatione insidiosam petulantium rabiem temperabat. Quæ cum intercutis humoris vitio immodico tibiurum turgore premeretur, neque lethiferam morbi rabiem medica-  
mentis

Magnus adver-  
sus Canutum  
incitatur.

AUCTORE  
SAXONE  
GRAMMATICO.

Canuti beni-  
gnitas et pacis  
studium.

b c  
Tres conjurati  
cum apud  
patrum in  
suspicionem  
vocati.

Patrum hono-  
rat Canu-  
tus.

Accusatur af-  
fectu regni.

mentis levare quivisset, ad ultimam pæne tabem re-  
ducta, Kanutum egregiæ indolis fiducia advocat,  
impenseque hortatur, patriæ a pacem, propinquo-  
rumque concordiam fidei suæ beneficio foveat, tutamento  
stabiliat, tantumque se in rebus domesticis gerat,  
quantum egerat in externis. Adjecit quoque, existere  
qui regiae familiæ caritatem odio disjicere niterentur,  
se vero plenis salubritatis monitis pestiferos talium  
instinctus pressisse. Ille Deum simplicitatis suæ tes-  
tem affirmat, seque omne vitæ tempus innocentia ac  
fide exacturum; periculorum procellas excipere, quam  
infligere malle promittit, odiaque beneficiis repensu-  
rum testatur. Illa promissionis beneficio delectata,  
tantæ fidei securam æquo se animo obituram asse-  
ruit. Quæ ut juvenilis invidiæ fluctus viva cohibuit, ita  
consumpta laxavit. Nam ab ejus fato juventutis im-  
patientia primam propositi sceleris licentiam mutuata  
est.

23 Sed et Henricus præter communem similitatem  
etiam privata Kanutum indignatione perosus, in-  
jectos malignitati suæ frenos audaci impietate discus-  
sit. *b* Ubbonem quoque Præfectum, et *c* Haquinum  
filium, quo firmiter dolum strueret, promptioremque  
sceleri aditum conciliaret, insidiarum participes facit.  
Hi tres eximium Kanuti fulgorem virtutis æmulatione  
pertæsi, grave mendacii incitamentum adversum excel-  
lentem ejus claritudinem destrinxerunt. Itaque  
splendidissimum patriæ lumen densissimis tenebris  
involvere cupientes, nihil eum Regis vitæ tempori-  
busque deferre, sed ipsius exitum præpropere ambi-  
tione præcurrere, jamque regiam sibi potentiam ar-  
rogare dicebant.

24 Movit Regem tanti contemptus opinio, denun-  
tiataque concione, Kanutum jubet accersi. Qui cum  
prior præstitutum frequentiae locum adisset, superven-  
ienti patruo Teutonice comitatus more, pallio va-  
cuis obviam accurrit, equoque descendente conti-  
nende sellæ ministerio veneratus est. Tunc Nicolaus  
fari in concione exorsus, docet Suenonis filios in  
regni gestione ætatis præcipue respectum egisse,  
successionis habitum ætatis ordine dispensasse, do-  
minandi jus in annorum prærogativa constituisse,  
neque minori majorem honore præcurrere licuisse.  
Quamobrem sese ut natu minimum, ita etiam regno  
postremum, fraternæ moderationis exemplo nullam  
fortunæ violentiam intulisse; expectatorem beneficii  
ejus non raptorem fuisse; neque ad intempestivum  
ætati culmen manus præpropere porrexisse cupidine.  
Kanutum vero parum priorum exempla secutum,  
violato speciosissimæ consuetudinis habitu, regni jus,  
cum re necdum queat, appellatione præcerpere; sin-  
gulare nominis insigne celerius quam justius occu-  
pare, jamque a suis falso Regis titulo censi non  
erubescere: consultius acturum, si regnandi fortun-  
am non in suorum adulatione, sed in extantis adhuc  
Regis occasu reponere, maturumque præstolari de-  
cus, quam intempestivum præripere mallet. His atque  
consentaneis modis regiae sibi nuncupationis insigne  
eripi querebatur.

a Ut varium et mutabile semper femina dicitur, ita Margare-  
tæm favisse modo, modo invidisse S. Canuto apparet. In primo  
consessu ripensi obortam similitudinem sustulit; in altero conventu  
Slesvici habito (quem Saxo omittit, referunt Helmoldus et Stadens-  
is) quod S. Canutus patruo Nicolao se per omnia et loco et di-  
gnitate æqualem gessisset, invidia inflammata in odium et eandem  
scribitur filium Magnum incitasse, Saxo ad mortem usque eam  
vult cohibuisse furorem Magni, invidiæ fortassis fomite, quem in  
conventu Slesvici conceperat, successu temporis sopito. Helmoldum  
et Albertum sequitur Crantzius in Wandalia, in Dania Saxonem.

b Nobilis Jutus is fuit.  
c Illic sororius S. Canuti.

## CAPUT VI.

## Defensio innocentie. Novæ invidiæ faces.

Tunc exurgens Kanutus diu vultum humi intentum  
habuit, dicendique exordium aliquantisper sudore et  
suspiriis præcurrit. Tandem et oculos et animum  
levans, gladiique, ut mos est, capulo innixus: Pec-  
cant, inquit, Pater, qui moderationem tuam supra  
quod aut majestati aut ætati debes, exasperant; qui-  
que pacatissima mentis tuæ serenum, mendaciorum  
procellis incitant, obtrectationum sibilis vexant. Sed  
onustum mihi valde est, quod integerrimam animi  
tui temperantiam, aliquid ab alienissima tibi iracun-  
dia mutuam, et quasi sinistro rationis ductu trans-  
versam ferri conspicio. Rejice, quæso, nugarum  
auctores mendaciter obstrepentes falseque hujus  
criminationis figmentum respue. Neque enim inju-  
rioso tibi nomine censi sustineo. *a* Herum me mei,  
non Regem appellant. Itaque cum a Sclavis Dominus  
salutari consueverim, sinistri tantæ comitatus in-  
terpretes aliena urbanitatis occasione insimulationis  
materiam acupantur, ipsique venerationis officia  
negligentes, etiam aliorum justa criminantur obse-  
quia. Ego vero non regnum (ut aisti) vocabulo usurpo,  
sed temperata nominis dignitate fastuosum salutatio-  
nis decus fugio, invidendum honoris fastigium sperno.  
Ita absque omni majestatis tuæ præjudicio barbara  
circa me resultat humanitas. Meam vero inter alienos  
venerationem indigne ferunt, qui et mihi lucem, et  
fidum lateri tuo militem eripere gestiunt. Hos æque  
tui usus ac mei capitis hostes judico.

26 Esto vocari me Regem: en filium tuum Magnum  
nuper apud Gothiam regii cultus et nominis insigni-  
bus positum comperimus. Mihi quoque, si par apud  
Sclaviam fortuna favisset, certe binis Regum obse-  
quiis uti jocundum ducere debueras, idemque tuæ  
quod meæ fortunæ incrementum existimare. Proprio  
namque parta negotio, tuo quam alacerrime subje-  
ctarem fastigio; foretque ut inde servitiorum fru-  
ctum decerperes, unde aliqui damnorum adversa  
perferres. Itaque plus amoris quam odii in mea fueras  
felicitate repositurus. Adde quod pro tua ac patriæ  
incolumitate excubare, omni sorte lætus, omni studio  
speciosus duxi. Ipse an efficaciter militaverim, no-  
sti. Littora Dani, si placet, excolite. Æquoribus  
aëdes quantalibet propinquitate jungantur. Ipsi undas  
cavete, a maritimis ego vos prædonibus præstabo  
securus. Et si veri confessorum agere non erubescis,  
ipse jam pridem Slesvici consistens, salutem tuam  
adversum *b* Saxonum excursions jugibus excu-  
biis vallare necesse habuisti. Eo si nunc divertere  
libitum est, liberam metu noctes exigere poteris. Præ-  
terea angustias regni tui, sola Daniæ possessione  
contentas, inusitatis terminorum augmentis explicui.  
Quos prius infensos habueras, nunc in tributum acti,  
tuo per me famulantur imperio. Itaque quarum ego  
rerum sementem jeci, tu fructum absque negotio  
messuisti. Et quidem impensam ad militem, emolu-  
mentum ad Regem redundare par est. Et ne ulterius  
privatæ militiæ facta prosequar, etiam in publica  
adverso pro te vulnera corpore excepi.

27 Et tamen sic de te meritum suspicione et que-  
rimonia causabundus aggredieris, veterisque militis  
tui promptissimam fidem et certissimam innocentiam  
notare, deforme non ducis? Hisne ergo operibus me-  
rui, ut adversum me æmulationem tuam in concione  
destringeres? Hæcne ex labore præmia, ex militia  
stipendia decerpam, ut ejus beneficentiam sperabam,  
indignationem experiar? Aliena a te sit ingrati hæc  
animi labes, ut operum meorum beneficiis, invidia  
atque obtrectatione respondeas. Verum totam hanc  
insimulationis vim ab invidia profectam, non tuæ,  
sed tuorum malignitati imputandam existimo. At in  
regni

Capitulum se  
defendit.

a  
Herum non  
Regem appella-  
tus a suis.

Ut Rex dice-  
retur, non  
esse contra  
Nicolai hono-  
rem.

Sua in pa-  
triam et Re-  
gem merita  
commemorata.

b

Queritur de  
sinistra Regis  
suspicionem.

regni fastigio collocatos, difficiles accusatoribus aures, præbere convenit. Diu paternum hoc imperium gere, feliciterque et nominis et regni insigniter utere. Heredem tibi quem natura dedit, fortuna conciliet. Ego vero in quocumque me fortunæ habitu continuo, nunquam celsitudinem tuam fide vel obsequio colere supersedebo.

28 Permissus oratione Rex, placidiorem oris habitum induens, offensam falso instinctu conceptam, in ipsa repente concione deposuit, execratus eos qui simplicitatem ejus scurriliter attentassent, sequedeinceps adversum hujusmodi criminationum susurros aures obseraturum promittit. Cumque Henricus omnem obtreccionis suæ molem prudentissima Kanuti responsione subversa videret, familiaribus regem minis aggreditur, summa illum regni affectione teneri iniqui, incertamque Magno regni petitionem futuram, si populo iudice de summa secum foret controversiam habiturus. Quippe Canutum ceteræ nobilium turbæ popularium suffragiis præferendum. Quamobrem debere patrem successione jus proprio potius quam alieno mandare iudicio, destinatumque heredi locum æmulo vacuefacere, dum filii rebus consultum esse velit. Itaque sapere eum si suspectam Kanuti fortunam ferro præcurrere studeat. Hæ voces sæpius accessit Regis animum sollicitudinibus implicatum graviori quam ante suspicione torsi.

a Herus nostratibus et Germanis Dominum significat, illis vulgo der Herr, Heer nobis.

b Saxones potius quam Obotritos, Wandalos, aut Slavos appellat, ut ab his, sibi subditis invidiam amoveat. Crantzius lib. 3 Wandal cap. 20. Holsati, aut, atque Stormari, ceterique Saxones Wandalis configi, juncti Henrico Principi ex animo, cum illo et pro illo parati extrema subire priusquam divellerentur, et cap. 27, agens de bello Henrico cum Nicolao, Jutiam, inquit, crebrius incursabat, cum federatos haberet Nordalbingos, (hi sunt ante citati Saxones, Holsati, et Stormari) adeoque infestam fecit regionem, ut jam nemo pene Præfecturam Slesvici desideraret, cunctis rufugentibus crebras et violentas Henrici incursiones.

## CAPUT VII.

## Nefaria Kanuti cædes.

Tunc Magnus perinde ac fortunæ suæ consulendi, tollendique æmuli, a patre licentiam nactus, accitos qui se superius Henrico scelestissimi consilii collegio sociaverant, jurare coegit, fidem se commissi silentium acturos. Adjectus est his Haquimus, cognomine et genere Jutus, neque voci ejus ulla ex parte diffusum est, quamquam Kanuti sororem in matrimonio habere nosceretur. Igitur conjurati diu secum taciteque lustrantes, quibus periculorum procellis, quoque exitii pondere divinum Kanuti caput obruerent, pestiferi consilii laqueos humi decubando nectebant, ut si rem casu detegi contigisset, nunquam stando sedendove salutis ipsius insidiatos se esse tuto jurare quirent, præsidioque situs innocentie sibi munimentum consciscerent, ignorantem verborum artificio juramentum edentem, perjurio obnoxium fore. Quorum fucosa atque errabunda simplicitas, plus criminis in vocis quam actus impietate reposuit; non in manuum, sed laborum temeritate religionis violationem constituens. Cum autem Haquimus Jutus cœpti modeste sermonis exitum, Kanuti salutis insidiosum adverteret, protinus collegio se pestifera conspirationis abruptit, conclaveque excessit, ne latronis potius quam necessarij partes egisse videretur. Igitur a conjurationis auctore, ne jurisjurandi vinculum perumperet, monitus, neque fautorem consilii, neque proditorem se futurum respondit; quamquam satius esset immerentis periculum indicio præcurrere, quam silentio tolerare.

Magnus in Kanuti necem conspirat.

Ridicula etiam perjurii.

Impiij juramenti stolidæ observatio.

Magnus simulat cum Kanuto amicitiam.

30 Ut autem Magnus insidiarum contextum familiaritatis præsidio obscuraret, cunctamque suspitionis notam calliditatis acumine vitaret; ante omnia

consultum duxit, ut cum eo, cujus ardentissime cruorem sitebat, fictam amicitie æqualitatem jurisjurandi pactione consereret, perinde ac religionis pondere propinquitatis vinculum adstricturus. Et ut cunctam malignitatis notam sanctitatis simulatione præcurreret, nihilque perfidum aut obscurum voluere putaretur, iniquissimam molitionem suam insidiosa religionis adumbratione contexit. Quippe contracta apud Sialandiam nobilium frequentia, Kanutoque circa divinum Natalis solemne convivandi gratia Roskildiam vocato, sacre sibi peregrinationis amorem incessisse perhibuit. Præterea conjugis ipsum ac liberorum tutorem ordinat, eique plenissimam rei familiaris suæ custodiam mandat.

AUCTOR SAXONÆ GRAMMATICÆ.

31 Et forte tunc Ingiburga consilii cognitionem consociorum indicibus apprehenderat; statimque virum, ut præparatas capiti suo vitaret insidias, missis literis monendum curavit. Ille nuntium non tam a deprehensionis certitudine, quam a muliebri pavore profectum existimans, monitionem respuit; seque non minus fidei in Magni quam uxoris præcordiis reponere dixit. Quem si fortuna æque ac conjuncto consilio instruere voluisset, objectos perfidie laqueos consultius vitasset, neque credulitatem suam alienæ malignitatis hamis implicandam præbuisset. Interea Magnatibus apud Roskildiam quatuor solemniis dies continuo feriatis, Kanutus ac Magnus, publico jam conventu soluto, sacri temporis residuum dividuo peregrare contubernio.

Canutus de periculo monetur ab uxore.

32 Eodem forte tempore quidam Kanuto admodum sanguine conjunctus, in ejus conspectu dissidentem secum militem fuste percussum interemit, atque ob id curia abire jussus, Magnum petivit. Providens autem Magnus, ne per eum ullum consilii sui indicium ad Kanutum manaret, nocte qua ad detestabile carnificis ministerium peragendum contendit, ceteris se sequi jussis, solum hunc pristina Kanuti familiaritate suspectum comitem recusavit. Consilii deinde participes jurejurando obstrictos fidem facere compulit, silentio se cuncta tecturos. Post hæc militem latebra claudit, insidiasque circumsperta locorum obscuritate disponit. Mox Kanutum apud oppidum a Haralstadium, ab Erico b Falstræ Præfecturæ viro domi exceptum, per conjuratorum quemdam, genere Saxonem, arte cantorem, sine arbitris sibi obvium venire jubet. Occursum locum apud citimum villæ nemus denuntiat.

Evocatur a Magno ad locum insidiarum.

a  
b

33 Ille nihil in re doli suspicatus, duobus tantum militaris ordinis viris, totidemque equisonibus in comitatu assumptis, armis vacuus equum petivit, neque lateri suo ferri munimentum adsciscere curæ habuit. Quem cum e famulis quidam gladio vacuum incedere vetuisset, nequaquam se in salutis tutelam ferro opus habere respondit. Tantum enim fiducia et pacis in Magni societate reposuerat, ut in occursum ejus ne ense quidem utendum putaret. Monitore vero ne ferum omitteret insistente, ægre gladium sumpsit. Tunc cantor, quod Kanutum Saxonici et ritus et nominis amantissimum scisset, cautela sensim instruere cupiens, cum jurisjurandi religio, quo minus id ageret, obstare videretur, quia liquido nefas ducebat, sub involucre rem prodere conabatur, integritatem suam inter fidem arcani et piæ innocentie servatorem partitus. Igitur speciosissimi carminis contextu notissimam Grimildæ erga fratres perfidiam de industria memorare adorsus, famosæ fraudis exemplo similitum ei metum ingenerare tentabat. Sed nullis monitorum ambagibus securitatis ejus columnen quassare potuit. Tantum quippe fidei in Magni propinquitate repositum habebat, ut salutem suam periclitari, quam ipsius amicitiam notare mallet. Quem cantor certioribus adhuc indicibus aggredi perseverans, lorice quam sub veste gestabat summa detexit. Sed ne eo quidem suspitionis irritamento refectum fortitudine pectus, ignavia adstringere valuit. Ita solidæ industrie

Inermis, nihil metuens ad eum venit.

industrie

AUCTORE  
SAXONE  
GRAMMATICO.

industriæ satelles fidem suam et perjurio vacuam et innocentia plenam præstare voluit.

34 Jamque Kanufus primos silvæ aditus subibat, cum a Magno, occiduum arboris truncum insidente, falsa oris hilaritate, et fictis osculorum blandimentis excipitur. Cujus ut adstrictum amplexibus pectus ferro tectum agnovit, quid ita eo culta esset perquirere institit. At ille dissimulanda fraudis cupidine, munimenti rationem referre cupiens, esse virum inquit vitæ rusticæ, cujus populari penates vellet. Kanufus et rei atrocitatem, et temporis religionem sancte æstimans, quippe Epiphaniæ sacra gerebantur, ne privata ira publicum solemne macularet orabat. Quo neque se ultionem remissurum, neque proposito cessurum jurante, ipse satisfactionis justa promittere, suamque pro ejus correctione sponsonem offerre cepit.

Maleficium,  
licet simulatum,  
dissimulat.

Occiditur a  
Magno et sociis.

35 Obstreperantibus deinde qui insidiis addicti fuerant, oculos in partem circumferens, quid sibi militum hæc manus velit interrogat. Cui Magnus, jam de regni successione et rerum summa agendum, respondit. Tunc Kanufus, ut patris ejus Majestas diu lætis fortunæ velis prosperum cursum teneat exoptat; tempestivam vero talium mentionem incidere negat. Hæc dicentis verticem exiliens Magnus objurgantis more corripuit. Igitur Kanufus patente jam dolo manum capulo inserens, vagina ferrum abstrahere conabatur; jamque gladium mediotenus destrinxerat, cum eum Magnus capitis media diffissum exanimat. Ceteri conjuratorum prostratorum crebris confodere cuspidibus. Sanguis ejus terræ redditus salutarem fontis scatebram perpetuis usibus mortalium administrat.

Fons, ubi ejus  
jus sanguis.

a Hærestadium alius.

b Insula parva prope Selandiam et Latandiam, oppida duo continent, Nicopiam et Stubbecapam.

#### CAPUT VIII.

##### Sepultura. Motus populi.

Tenui pompa  
sepelitur.

Cujus cæde comperta, Skyalmonis filii, quibus multa ad eum ex educationis communione familiaritas erat, petitum illico Regem, ut ipsum in Roskildensium monumentorum area tumulari patiatur, exorant. Ille loci copiam negare, civitatem tanti mali aspectu exasperandam dicere, eosque a quibus funebris Kanuti pompa duceretur, indignationem suam adversum invisam Magni præsentiam acrius destituros. Quapropter exequias potius seditiosum pugnae strepitum, quam pium humanitatis obsequium habituras. Hic mihi pavorem specie, revera odium exhibuisse videtur, curasseque ne specioso occisi funere tetrior interfectori labes accresceret. Reversi qui Regi supplicaverant, miserandum amici corpus tenui funere a Ryngstadium extulerunt. Nec divina laborantibus beneficentia defuit. Siquidem locum, in quo pausatibus gerulis funebris ejus lectus constiterat, repentino fontis ortu signavit. Aliis quoque compluribus rerum indicibus ingens sanctitatis ejus splendor eluxit.

a

Miraculis illustratur.

37 Facinoris fama, promiscuum patriæ lamentum excivit, omnique penates plangore complevit. Populus enim cum calamitosum de nece ejus nuntium accepisset, protinus conviviorum, quæ ea tempestate gerebantur, hilaritate deposita, morem temporis impensum morore mutavit, inque eo lamentando, uterque sexus unius gemebundi amici vocem habuit. Cujus funus publico luctu elatum, quantus ejus amor omnium animis insitus esset, indicio fuit. Itaque ejus vitam patria charitatis officio excoluerat, morti quoque testes grati animi lacrymas erogabat, ut Kanufum ejulatibus, ita raptorem spiritus ejus validissimis execrationibus insecuta. Magnus vero ob impie cædis eventum profuso in gaudium animo, Roskildiam repetit, regnumque quasi sublato jam æmulo

Deploratur ab  
omnibus.

Exultat Magnus.

spei firmitate complexus, erubescendam facinoris fortunam tripudio prosequi deformare non duxit. Quin etiam sanctissimis Kanuti vulneribus, quibus plenas penitentiae lacrymas debuerat, voluptate ex facinore concepta, per ludibrium insultare sustinuit.

38 Ne autem sanguis cælo terraque egregie meriti propagine vacuus interiret, heredem Deo extincto subjecti. Nam octava post hæc luce, Ingiburga Kanuti conceptum ex eo marem enixa proditur, cui et materni b avi nomen inditur. Tunc Haquinus, quem superius Sunniva ortum significavi, cumque eo Petrus matre Botilda natus, et filii Skialmonis, facinoris atrocitatem gravi querelaram contextu prosequiti, indignam amici necem in popularium ubique conciliis deplorabant, adversum iniquissimum percussoris actum vulgi iram erigere cupiendo. Quin etiam tunicam ejus crebris foraminibus absumptam omnium oculis in concione subjiciebant. Nec parum luctuosam eorum actionem lacerae vestis irritamentum adjuvit: quippe compluribus ingentem ultionis cupiditatem tam fœdæ lacerationis spectaculum ingeneravit. Sed et sanctitas Kanuti crebris signorum indicibus prodita, ac divinis vulgata miraculis, incredibili cladis ejus conquestoribus adminiculo fuit.

Nascitur Canuto filius posthumus.

b

Concilium contra interfectores populus.

39 Hactenus Saxo Grammaticus, qui deinde excitas adversus Nicolaum Magnumque seditiones, ac diuturnas Daniæ calamitates prosequitur; ac tandem libro XIV publica veneratione coli ceptum Kanufum narrat, quæ breviter supra perstrinxit Helmolthus.

Daniæ calamitates ex ea cæde.

a Ringstadium hodie vetustate propemodum sua obsolevit. Begum olim a cæde S. Canuti mausoleis nobilitata. Nam Waldemarum S. Canuti filium, ejusque conjux Sophiam; horum filii, Canutus VI. et Waldemarum II. ambo Reges, et saror Regisa, Erici Regis Sveciæ conjux, isthic conditi. Eo demum S. Erici VI. Regis et Martyris (hic Walderamo II. patre, et S. Canuto proavo natus) Sleswico translatus, de quo agemus, IX Augusti.

b De eo ita Saxo lib. 11. Sueno puellam Rutenorum Regi Waldemaro, qui et ipse Jarislavus a suis est appellatus, nuptum dedit. A Polonis scriptoribus Jaroslavus dicitur. Dux fuit Vladimiriensium. De eo agunt Mattheus de Michovia, lib. 2. cap. 12. et Crommerus lib. 3. in Boleslao, a quo et Colomanno, S. Stephani Regis Hungarorum fratre, adjutus, Vladimiriæ, e qua expulsus fuerat, recepit. Est autem Vladimiriæ, seu Wolodimiriæ, civitas judicialis, seu districtualis regionis Volhiniz, sita ad Lugum fluvium, qui non procul inde in Bugum illabitur.

#### DE SANCTI CANUTI

##### TRANSLATIONE ET CANONIZATIONE.

Translationi S. Canuti sacer est xxv Junii quo die Martyrolog. Colon. et Carthus. Colon. in addit. ad Usuard. In Dacia Translatio S. Kanuti Ducis et Martyris. Florarium ms. In Dacia S. Kanuti Regis et Martyris translatio. Martyrol. Germanicum: Item in Dacia Elevatio sancti Ducis et Martyris Canuti. At Ferrarius xxiv Junii: In Dania S. Kanuti junioris Regis. In translatione hæc recitatur Oratio in Breviario Sleswicensi: Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Ducem Kanutum meritis suis inter Martyres mirificas, et inter mortales miraculis manifestas; præsta, quesumus, ut nos, qui hodie ejus Translationem celebramus, ipsius præcibus de præsentis miseria ad perenne gaudium transire valeamus. Per Dominum, etc.

S. Canuti Translatio.

2 Pro lectionibus hæc rerum a morte gestarum recitatur descriptio: Deo dilectus Dux Kanufus, terminum tangens, quem nemo præterire poterit, in fidei pigro merito et nomen Martyris pretiosa morte promeruit. Quamplures igitur tam felici morti dedito (et pro nobilitate germinis, quia Regis filius; et pro excellentia dignitatis, quia Dux et Judex justus; et bonitate innata, quia mente providus, lingua disertus, manu fortis, corpore venustus, facie decorus, fidelibus familiaris, et Factori suo fidelis apparuit) lacrymas mædæfactas exequi impendebant. Provocabat siquidem eos ratio multiplex, corpus gloriosum Roschildas deferre: civitas enim erat, Sede Pontificali

Sepultura Ringstadii.

Pontificali auctorizata, dignitate ceteris excellentior et Patroni patriæ pretioso dotata pignore, tam Principum quam Prælatorum adscripta sepulturæ; majoris dignitatis melioribus apparuit. Terror, inquam, Tyranni, eos a proposito desistere subito compellebat. Inde frustrati voto, dispositione divina, Sancti Martyris reliquias Ringstadium tulerunt. Membris tandem tanti Martyris in basilica Mariæ Matris et Virginis sepulchro commendatis, virtutem sepulti benignitas divina insepultam manifestavit.

Miracula, frustra ab impiis obscurata.

3 Tempore illo Ecclesiæ sanctæ duo præbendarii erant, et ambo nequam, qui quia vitiosi, virtutibus Martyris invidentes, quem Dominus manifestum fecerat, sub modio malitiæ abscondere satagebant. Prævaluit, inquam, potentior, falsitate cedente veritati: delatorum Martyrum invectionibus fictis nullus fidelium fidem adhibuit. Perseverantes siquidem in malitia sua, secundi interfectores, pejores prioribus, sedent in insidiis, ut semel interfectum iterum interficiant innocentem. Unde vates vetularum faventes frivolis, sepulchrum Sancti, animalis immundi deoctione adhibita, fœdere frustra festinabant: ut his maleficiis, miraculis cessantibus, Martyris memoriæ meta poneretur. Sed licet filius iniquitatis nocere apposuit innocenti, nihil prævaluit inimicus in eo, quia in Domino dormientis faciente sine favilla lucem ardentem, nequitia nebula offuscare non potuit.

4 Annis quidem xv, membra Martyris humata manebant, et fama felix de die in diem, accrescentibus miraculis, longe lateque incrementum accepit. Universis igitur ejus persecutoribus peremptis, perempto etiam Erico, qui leonina feritate in fratris ultione, nulli parens cædem exercuit. Ericus Spake regnum obtinuit. Tempore illo ætatis discretio, naturæ nobilitas, gratia virtutum, et timoris absentia, Waldemarum, Ducis et Martyris filium, diu latentem in medium duxerunt.

3 Duo hic memorantur Erici; prior Emundus dictus, qui Haraldum absque respectu fraternitatis capitali supplicio affecit, ejusque filios Ericum et Beronem contra promissum aquis submergi jussit, ut Saxo initio lib. 14. Alter est Ericus Lam, hic Spake etiam Helmolde dictus: ac forte Skape legendum, quod ovem significat, ut Lam agnum: ei enim ob pietatem nomen oviculae inditum observant Historici. Hic non tam Rex electus est, quam qui ad protractam Waldemari ætatem tutorio regnum nomine procuraret; idque solum ob S. Canuti gratiam Danis memoria contigisse testatur Saxo Grammaticus lib. 14. his verbis: Vacantem Daniæ possessionem nemo sanguinis virtutis fiducia aut petere aut rapere præsumebat. Quippe Sueno Erici, Kanutus Magni, et Waldemarum Kanuti filium nondum regno tempestivi fuere. Christiernus vero Waldemarum paterno, cujus ultionem adjuverat, regno dignissimum prædicabat. Quem honorem mater multis et gravibus periculis obsitum, ac vix quidem adultis gestabilem, perniciosum parvulo futurum advertens, poscenti puerum Christierno tradere recusavit, majoribus id munus debere præfata. Postremo pertinacius insistentem jurejurando obstringit, in Regem eum eligi non posse passurum. Quo Christiernus ad populum et concionem usque perlato, patris ejus beneficia memorat, ut domi leges et jura stabilierit, ut foris hostem represserit, ut furtis rapinisque patriam vacuefecerit, ut Daniam pæne exhaustam et exsanguem Slaviæ magistram reddiderit, ut etiam unicuique per vim amissa ad integrum restituerit, utque cunctis his operibus sanguini suo regnum deferri meruerit. Verum cum filius ejus nondum maturos imperio annos acceperit, neque Danis sub auspiciis perilibus rem gerere militarem expediat; virum debere circumspici, qui usque ad protractam pupilli ætatem tutorio regnum nomine procuraret. In quod munus aptius neminem, quam Ericum superioris

Waldemarum filius Reccreatur: ei Ericus tutor datur.

Erici ex filia nepotem, quod audacia ac pietate præstaret, maternumque genus ex Regibus duceret, adscisci posse, adulto verum summam pupillo cessuram. Ita Erico et populi favor, et pueri majestas vires regias dedit.

EX SAXONE GRAMMATICO.

6 Ubi autem a morte Erici Lam, et cæde Suenonis ac Canuti, Waldemarum pacifice regnum solus obtinuit, patris S. Canuti canonizationem promovit. De hac ita Saxo lib. 14. Per idem tempus Legati Regis, quos, ut sibi paternæ animæ sanctitatem sacris honoribus venerari liceret, Romam transiserat, consentaneas voto litteras retulerunt. Quibus cognitis Rex omni Danica nobilitate sub edicto Ryngstadium evocata circa solenne Joannis, quod in æstivo solstitio colitur, et parenti celestes honores, et filio (Canuto VI) regios celebrare constituit; maxima claritatis incrementa accepturum se ratus, si una eademque luce ex iis alterum ara, alterum corona donasset; ut et hujus infantiam regnum reciperet, et illius spiritum publica religio consecraret. Et paullo inferius, Waldemarum, inquit, apud Ryngstadium magna cum Optimatum frequentia regio apparatu feriantem reperiunt. Ubi Lundensis Pontificis ministerio, cujus id exequendi officium erat, et patris ejus ossa aræ traduntur, et filius septem annos natus Kanutus Rex consecratur, regia in sella purpura venustatur. Quibus debita religione celebratis Helgo Pontifex Asloensis (seu Anstoenis in Norvegia) et Stephanus Upsalensis (in Suecia) ab Erlingo (Duce Norvagianorum) missi, editiore loco occupato, pacem Norvagiensibus benigno precabantur alloquio; quam a Rege eo potissimum die concedendam esse monstrabant, quo et filium diademate, et parentem altareo honoratum vidisset. Hæc Saxo. Priora ejus verba refert Baronius tom. 12. an. Ch. MCLXIV. n. 30, additque: Habes ex eodem auctore duos Canutos Reges, avum alterum, alterum vero patrem ipsius Waldemari Regis; in quo falli eum supra monuimus.

Canuti canonizatio procurata.

Canuti nepotis inauguratio.

Pax Norvægia data.

7 Historia compendiosa Regum Daniæ e ms. a Lindbrogio edita, refert Waldemarum, cum filiam suam Christianam dedisset Frederici Aenobarbi Imperatoris filio Henrico VI, uxorem, vidissetque sanctissimum patrem suum Divorum catalogo adscriptum, filium suum regni diademate ornatum, tandem mortuum esse, etc. Crantsius lib. 6. Daniæ cap. 29. Quo tempore, inquit, nuntius et oratores rediere, quos Rex ad urbem Romam misit testificandi gratia de miraculis, quæ ad tumulum D. Canuti fierent, quo Rex patri posthumus filius natus est. Erat autem annus post millesimum centesimum septuagesimum primus. Tum apud Ringstadium, ubi paternus erat tumulus, omnem conventum omnium de regno concivit Rex, litteris a Sede Apostolica proditis. Ibi D. Kanutus solemnem precationum genere de tumulo levatus, aræ consecratus imponitur. Quo etiam conventu Rex filium nuper regio nomine insignitum Kanutum, nunc et oleo sancto deliniri, coronaque jubet insigniri, gemina patris et filii medius ipse sollemnitate feriat. Hæc Crantsius, qui ejusdem canonizationem paucis iterum attingit lib. 3. Wandaliæ cap. 34, lib. 5. Saxoniam cap. 28 et lib. 6, cap. 2. Joannes Magnus lib. 2, de vitis Pontificum Upsalensium in Stephano Archiepiscopo ita scribit: Res Norvægianorum ob diuturna bella, quæ Duce Erlingo cum Danis gesserant, pene in extremam ruinam devenissent, ni hujus Stephani prudentissima legatio et excellens facundia pacem a Rege Valdemaro ipsis impetrasset: in quod negotium multo laboris et expensarum impendit, eodemque tempore una cum Eschillo Archiepiscopo Lundensi, D. Canutum Ducem et Regem Obotrutorum in Sanctorum catalogum jussu Alexandri Papæ III, inscripsit. Hæc Magnus, qui similia habet etiam lib. 19, Hist. Gothorum cap. 7, Cypriæ cap. 27, scribit ann. MCLXXI, cuncta hæc esse gesta.

Eadem abalitis narrata.